BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
21/1 D
25

E.3.



13. 15. d. 27

Digitized by Google

Digitized by Google

XII. 12. 1.

Digitized by Google

ILLVSTRISS.MI, ET REVEREN.MI D.

D. IO: LVCIDI CATTANEI

DEI, ET APOST: SEDIS GRATIA

EPISCOPI MANTVANI,

S. R. I. PRINCIPIS, MARCHIO MORANI, ET PONZANI.

CONSTITVTIONES SYNODALES.

Publicatæ in prima Synodo Diæceſana diebus 26. 27. Septembris Anno MDCLXXIX.

Quibus additæ ſunt Propoſitiones omnes morales damnatæ à Sum. Pontif. Alexandro VII. fel: mem:, & Innocencio XI.



MANTVÆ, Apud Oſanas, Impreſſores Ducales.
ANNO DOMINI 1680.

Digitized by Google

IOANNES LVCIDVS

Dei, & Apoſt. Sedis gratia Epiſcopus Mantuanus.

Venerabili Clero Vrbis, & Diæceſis Mantuanæ.

Licèt ex officio profectibus teneamur incumbere ſingulorum, &, tamquam de commiſſo Nobis grege rationem æterno Patri familias reddituri, cuicumque debeamus, omnia omnibus facti, quæ ad vitam ſempiternam conducunt; Equum tamen erat, vt de vobis, venerabiles Conſacerdotes, & Cooperatores Ordinis noſtri, quos in partem ſollicitudinis paſtoralis in adiutorium noſtrum Deus elegit plus ſolliciti eſſemus, & cautiores magis de Diaboli infeſtatione timeremus. Quapropter cùm longo rerum vſu didicerimus, in queis temporum calamitate, & iniuria multi negligentèr, & indecorè ſe gerant, & alicubi etiam, quod mage dolemus, ſub Sole viderimus in loco Iudicij impietatem, & iniquitatem in loco Iuſtitiæ, quaſi peſſimæ abhominationis idola ſtantis in loco Sãcto, purgationem peccatorum Omnipotentis auxilio facturi, & ſancta emundaturi hæc, quæ inferiùs ponuntur, præ-

cepta

cepta in comitijs Synodalibus promulgata vobis obſeruanda propoſuimus. Nec miremini, quod curam omnem in exterioribus viſi ſimus impendiſſe, quaſi interiorem negligentes hominem; id enim conſultò fecimus, quia ad nos de eo ſpectare nequaquam cognouimus, cum ſolus renium, & cordis ſcrutator ſit Deus; Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis, qui in Deo eſt? At, quantum in nobis eſt, ſemper etiam pro eo egimus; in Sacrificijs enim noſtris, quæ quotidiè offerimus, & precibus, quas perſoluimus memores fuimus veſtri ſine intermiſſione, ſicut fas eſt, & decet meminiſſe fratrum, & ab Altiſſimo, cuius inſpiratio dat intelligentiam, quique dat affluenter, & non improperat, precati ſumus, vt in aure cordis veſtri ſonet ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur verba ſalutis; vt lucernam poneret pedibus veſtris verbum ſuum, & benignus, ac propitius etiam rebelles ad ſe veſtras compelleret voluntates. Vtinam Dominus adaperiat cor veſtrum, vt quod à vobis requirit animo grandi, & corde volenti faciatis iudicium in his, quæ vobis propoſuimus, & ità ſolliciti ambuletis cum eo, vt diligatis iuſtitiam vos, qui iudicatis terram. Pudet dicere, quod, cum deberetis eſſe magiſtri, rurſus indigetis, vt vos doceamini. Ah tempor, & negligentia ſtatus noſtri, quod tàm citò declinamus à priſtino feruore! Iam magnus, terque, quaterque magnus, & ſanctus putatur, ſi quis tranſgreſſor non fuerit. Intuemini Sanctorum Patrum viuida exempla, in quibus vera perfectio refulſit, & religio, & videbitis quàm modicum ſit, & pæne nihil quod nos agimus. Sancti, & amici Chriſti Domino ſeruierunt, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in labore, & fatigatione, in vigilijs, & ieiunijs, in orationibus, & meditatio-

ionibus Sanctis, in perſecutionibus multis. Heu quid eſt vita noſtra, ſi illis fuerit comparata! & tamen noſtra conuerſatio non cum popularibus, & cõmunibus hominũ vijs, ſed cum Angelis in Cælo eſſe debet; quia Sacerdos omnibus virtutibus debet eſſe ornatus, & alij bonum exemplũ præbere; non enim alleuiauimus onus noſtrum, ſed arctiori iam alligati ſumus vinculo diſciplinæ, & ad maiorem tenemur perfectionem ſanctitatis. Cùm ergò onus hoc leue ſit, & iugum ſuaue, quod vobis imponitur læti ſuſcipite. Eſtote igitur factores verbi, & non auditores tantùm fallentes voſmetipſos, quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt fiet, & dum exiguo conceditur miſericordia, vos, qui potentes in plebe eſtis potenter tormenta ſuſtinebitis, & fortioribus fortior vobis inſtat cruciatio. Præbete aures, qui continetis multitudines, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui cogitationes veſtras ſcrutabitur, quia cum eſſetis miniſtri Regni eius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum legem Dei ambulaſtis. Mementote fratres, quod non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei ſuperędificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu; Curramus igitur tamquam viui lapides, vt tunſione plurima politi mereamur in hanc ſtructuram ſpiritualem coędificari, & in altiſſimo faſtigio locari. Nihil magis poſt hac pręſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur præcedentis populi, qui non ſequendus nobis, ſed corrigendus eſt, erraticum gregem pergentes non qua eundem eſt, ſed qua itur. Verſat nos, & præcipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis; Exurgamus modo, exurgamus,

mus,

mus, & nos quoque dignos Deo operibus iuſtitiæ reddamus, ne nos adhuc impoſterum doleamus, quod ante Propheta ingemuit: ſicut populus, sìc, & Sacerdos. Ingrediamur tandèm viam vitæ, cuius initium eſt iuſtitia. Procedamus de virtute in virtutem poſt veſtigia Sanctorum. Quo nos Deus vocat, reuocatque ſequamur, nec enim in tenebris ambulabimus accedentes ad Deum, cum lucem inhabitet inaceſſibilem, & totus ſit lux, & tenebræ in eo non ſint vllæ. Accedamus ad eum, & illuminabimur, quæramus faciem eius nunc per ſpeculum in ænigmate, & ipſe nos illuminabit ſedentes in tenebris, & vmbra mortis, dirigetque in viam ſalutis æternæ, ac tandèm cum apparuerit gloria eius, adimplebit nos lætitia cum vultu ſuo reſtituens meritis Ieſu Chriſti promeritá nobis hæreditatem, quam interceſſionibus Beatæ ſemper Virginis Deiparæ Mariæ, Beatis Patronis, & Compatronis noſtris, & omnibus Sanctis dignetur nobis largiri, qui, quantum eſt de ſe vult omnes ſaluos fieri, Omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.

Digitized by Google

DE FIDEI PROFESSIONE.

CAP. I.

VBi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe Iuſtitia, quià iuſtus ex fide viuit. Vt ergò Deo iuſtè, & fidelitèr viuamus à fidei profeſſione incipiendum eſt; quæ nos omnibus veros Catholicæ fidei profeſſores oſtendat. Neq; enim fides ſine operibus, neque opera adiuuant ſinè fide.

Hinc inhęrentes Conſtitutioni Pij IV., quæ incipit, *In Sacros P. M.*, & Trid. Concil. præcipimus omnibus, & ſingulis, qui ad Synodum conuenient, nullo excepto, vt palàm, & ſolemnitèr profiteantur, vt quod in corde gerunt, etiam exteriùs per verba eluceſcat, prout infra.

Ego N: firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quæ Sancta Rom: Eccleſia vtitur, videlicèt. *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia Sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis:* Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. *Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas.*

Digitized by Google

Et aſcendit in Cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterùm venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimùl adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum; Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam iuxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto; Nec eam vnquàm, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoquè ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ Legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicèt Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo, & definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio: Profiteor paritèr in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis, atq; in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realitèr, & ſubſtantialitèr Corpus, & Sanguinem, vnà cum Anima, & Diuinitate D. N. I. C., fieriquè conuerſionem totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuer-

uerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpetie totum, atque integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtantèr teneo Purgatorium eſſe, Animaſque inibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos, vnà cum Chriſto regnantes venerandos, atquè inuocandos eſſe, eoſquè orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam. Indulgentiarū etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicā, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro: Cætera itèm omnia à ſacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitantèr recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, reiectas, & anathematizatas ego paritèr damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veracitèr teneo, eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N: ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Et ità profeſſi ſunt omnes.

A Parochis itèm, & Beneficiatis præſtetur infraſcriptum Iuramentum.

Ego N: promitto, & iuro, me fore fidelem, & obedientem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & eius Summo Pontifici, ac Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. Epiſcopo Ciuitatis Mantuæ pro tempore exiſtenti, eiuſque mandata ſeruabo, & ab alijs, quantum in me erit, ſeruari curabo, & inſeruiam Eccleſiæ N: tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, & in ea reſidebo, in quantum teneor; nec ea relicta ad aliam me transferàm ſine præfati Epiſcopi licentia. Libertatem Eccleſiæ conſeruabo, & defendam; eiuſdem vtilitatem curabo, res eius non alienabo, niſi in caſibus à iure permiſſis, & alienatas pro poſſe reuocabo. Inuentarium omnium iurium, & actionum dictæ Eccleſiæ intra terminum ſynodalibus conſtitutionibus praſcriptum conficiam, & eius exemplum officio Curiæ Epiſcopalis tradam. Nihil illicitum dedi pro adipiſcendo hoc beneficio. Vocatus, & non legitime impeditus ad Synodum veniam; ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Eandem profeſſionem fidei in manibus noſtris, aut Vicarij noſtri generalis facere teneantur omnes Dignitates, Canonici, & Parochi, prouiſi omnes de beneficijs quibuſcunque curam animarum habentes intra duos ſaltem mēſes à die poſſeſſionis adeptæ. Præterea prouiſi de Canonicatibus in noſtra Eccleſia Cathedrali eam faciant, etiam in Capitulo, alioquin omnes priuentur fructibus beneficiorum, & præbendarum ſuarum, eiſque poſſeſſio nullatenùs ſuffragetur, iuxtà præſcriptum Sac. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.

Sciant prætereà teneri profeſſionem fidei emittere coram Nobis, aut Vicario noſtro generali docentes literas, atque artes liberales quocunque nomine vocentur, etiam pri-

primæ grāmaticæ rudimenta ſiuè publicè, ſiuè priuatim, ijſque omne, quibus prædicta Pij IIII. conſtitutione præcipitur, vt profeſſionem fidei faciant intra ſpatium duorum menſium. Nec audeant ipſi, & alij docere, niſi à Nobis, aut Vicario noſtro generali petita, & obtenta licentia in ſcriptis. Et hæc licentia formetur in Cancellaria noſtra, ſub pæna ſcutorum duodecim, & alia maiori arbitrio noſtro infligenda, ſi in aliquo prædictorum tranſgreſſores fuerint.

De vita, & honeſtate Clericorum. Euthim.
CAP. II.

CLerici, & omnes Chriſto ſeruientes aſpectu vtuntur pro voce, & quales ſint ipſe habitus ſonat. Veſtite vos ſerico probitatis, biſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ: ait Tertul. Tertul.

Ne igitur D. Hieronym: denuò lamentationes audiantur, dum ait, Crines calamiſtro rotantur, digiti de anulis radiant, veſtes pompa ſæculari ornantur? hos cum videris, non Clericos exiſtimato, ſed ſponſos. Hieron.

Statuimus primò, iuxta Concil. Trid., vt omnes, & ſinguli huius noſtræ Diæceſis Clerici cuiuſcunq; gradus, conditionis, & dignitatis exiſtant, vt tonſuram, ſeu clericam abraſam, viſibiliter deferant, hac forma, ſcilicèt, vt Sacerdotum ſit latitudinis hoſtiæ magnæ, & aliorum Clericorum ad inſtar hoſtiæ paruæ, ita vt inter in ſacris conſtitutos, Sacerdotes, & Clericos in minoribus appareat in tonſura differentia. Comam ſæculari more non nutriant, ſed modeſtè capillos deferant.

In Eccleſijs non pileum, ſed biretum geſtent, non in tranſ-

tranſuerſum more laicorum, ſed religioſè; nec ſine ipſo ad celebrandum accedant, idque extra altare reponatur vſque dum ab ipſo altare recedunt.

Veſtes in Ciuitate ſemper ſint talares cum pallio paritèr talari, & ſine veſte talari nemo celebrare audeat extra Ciuitatem, vel intra, lutuoſo tempore vſq; ad media crura pertingant; veſteſque prædictæ ſiue talares, ſiue breuiores, ſint abſque ornamento colorato, nec intra, nec extra, aut alio ornatu, qui redoleat ſæcularem vanitatem. Tibialia ſint coloris nigri, vel violacei, vel alterius modeſti coloris, excludendo alios colores, rubros, virides, & ſimiles, &c.

Prohibemus omninò collaria, quæ non ſint romano more conflata, aût ſimili, quæ non ſint nimis expanſa, & quatuor digitorum latitudinem non excedant, nec habeant laicorum ornatus; calceos albos tàm in Ciuitate, quàm extra omninò prohibemus, veſtimenta ſub veſte ſint nigra, aut obſcuri coloris, vel alterius qualitatis, prout de tibialibus dictum eſt, dempta vanitatis pompa.

Pallio tàm intra, quàm extra Ciuitatem nullo modo vtantur, niſi nigro, ſub pæna ſcutorum viginti quinque, & ſine ipſo per Ciuitatem non incedant, ſub eadem pæna.

In qualibet re ex his, quæ præcipimus, ſi quis non parere auſus fuerit, in caſibus non prouiſis, pænam ſcutorum duodecim incurrat pro prima vice, & maiori ad beneplacitum noſtrum, ſecundum qualitatẽ contumaciæ, & culpę.

Anulos aureos, vel argenteos in digitis non ferat, niſi in dignitate eccleſiaſtica conſtitutus, vel doctoratus laureola inſignitus; Verùm quiſquis ille ſit in Miſſa celebranda illum deponat, ſub pæna anulum amittendi.

Nullus in Ciuitate, vel Diæceſi noſtra habitum clerica lem

lem induere, aut ſuſcipere præſumat, abſque noſtra in ſcriptis licentia, quæ à Nobis non dabitur, niſi ijs, qui alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſcribi voluerint (ſeruatis tamen ſeruandis) de quorum vitæ integritate, ac probitatis moribus ex Parochorum atteſtatione conſtiterit. Qui abſque dicta licentia habitum huiuſmodi geſtare auſus fuerit, prȩter quam quod priuilegio fori Eccleſiaſtici, & Canonis non gaudebit, ad tonſuram, & ordines ſuſcipiendos non admittetur; Qui verò eodem legitimè ornati fuerint, illum continuò non geſtantes, aut ſemèl totalitèr dimittentes, omnibus eccleſiaſticis benefitijs ex prȩſcripto Conc. Trident., atque ex præcipua Sixti V. conſtitutione, priuatos declaramus.

Quæcunque cuiuſuis generis arma à legē, iure, & ſtatutis, Clericis prohibita, ſub pæna carceris, alijſque arbitrarijs non deferant, niſi ea, quæ pro licitis, iuſtiſq; tantum de cauſis, cum noſtra licentia in ſcriptis concedentur; venationes quoque à iure prohibitas ijſdem Clericis; nec nō quamlibet cohabitationem mulierum ſuſpectarum, ſub eadem, & alijs pȩnis in Conc. Trid., & Canonibus expreſſis prohibemus, quas eis minimè remiſſuros proteſtamur.

Vt autem omnis, & quæcunque ſuſpicionis, aut ſcandali cauſa tollatur, nemini liceat Clericorum domi mulieres pro ancillis tenere quadraginta annos non excedentes, abſque noſtra in ſcriptis licentia, ſub pæna ſcutorum triginta, quæ ſi fuerint de incontinentia ſuſpectæ, maiorem pænam arbitrio noſtro incurrent; à qua paritèr mulieres ipſæ, hoc in caſu, non eximentur.

Prohibemus paritèr omnibus Clericis ne partem domus, quàm inhabitant fæminis locare, aut alio titulo concedere valeant, ſicuti nec alijs perſonis laicis domos ſuarum

rum

Digitized by Google

rum præbendarum ſimilitèr locare, ſine noſtra licentia in ſcriptis, ſub eadem pæna ſcutorum triginta, pijs locis applicandorum, & nullitatis conceſſionis, & locationis.

Ne irreuerentia laicorum ergà Clericos, & Eccleſiaſticos inſoleſcat, præcipimus, vt nullus de Clero noſtro ludis taxillorum, alearum, & ſimilium illicitorum incumbat, neque ad eos accedat, eiſque interſit, nec in propria domo talia laicis exercere permittat, ſub pæna ſcutorum decem applicandorum, vt ſupra, alijſque pænis arbitrarijs pro culpæ modo, aut grauitate infligendis.

Cauponas, ſeu tabernas, aut inhoneſta hoſpitia omnis Clericus deuitet, iuxtà Conciliorum mandata.

Si quis Clericus notoriè ebrioſus fuerit, pænam ſuſpenſionis per duos mêſes incidet; ſi verò monitus non ſe correxerit, perpetuò ſuſpendetur à diuinis, & beneficia ſi quę poſſederit, alijs Sacerdotibus committentur, dempta ex fructibus beneficiorum congrua defectuoſi Clerici alimonia, ſi aliundè non habuerit vnde viuere poſſit; ſi verò nullum beneficium habuerit, pæna arbitraria punietur, iuxtà exceſſus qualitatem, & numerum.

Clerici quicunque perſonati, aut laruati non incedant, nec publicas, nec priuatas cum mulieribus choreas ducant; quòd ſi in comædijs, choreis, aut tripudijs huiuſmodi actores ipſi fuerint, ſaltauerint, inſtrumenta publicè, & palàm pulſauerint, aut mulieres manu ſociauerint, vltrà excommunicationis incurſum eiſdem à lege comminatum, pæna viginti quinque ſcutorum abſolutè, & indiſpenſabilitèr plectentur; in Sacerdotibus verò duplicabitur. Si quis autem non ſolùm luſerit ludis publicis, præcipuè verò (*vulgo nella racchetta*,) qui non ſine maximo ſæcularium ſcandalo, & ſeruitij Eccleſiarum detrimento

exer-

exerceri poſſunt, verùm etiam ipſis loco, & ludis interfuerit, eandem pœnam ſcutorum viginti quinque pro qualibet vice, nec non carceris ad arbitrium noſtrum incurret.

Nulli Clericorum liceat mercaturam cuiuſcunque generis exercere, negotiaque, aut lites alienas ſub vllo titulo in quocunque foro pertractare, ſub pœna carceris ſemeſtris. Quòd ſi pro miſerabilibus perſonis, aut conſanguineis quemquam negotia ſæcularia gerere, vel tutores eſſe opus aliquando fuerit, id tantùm de licentia noſtra, & non alitèr, cognita prius à Nobis cauſa, & neceſſitate eis liceat.

Inhærentes decretis D. Silueſtri, aliorumque ſummorũ Pontificum, & Conciliorum prohibemus Clerico cuiuſcunque gradus, & dignitatis, nè propter quamcunq; cauſam, etiam furti, & iniuriç ſibi illatæ coràm Iudice ſçculari conuenire, comparere, agere, vel aliquem accuſare præſumat ſine noſtra licentia, ſub pęna carceris ad arbitrium noſtrũ.

Neque quiſquam ex Clero audeat coadiutor, procurator, aut quoquo modo negotiorum geſtor eſſe alicuius Vniuerſitatis, Communitatis, vel ſingularis cuiuſcunque perſonæ, ſub pæna librarum viginti quinque, & alia grauiori pro vt facti qualitas poſtulabit.

Nullus Clericorum cuiuſcunque ſit gradus, dignitatis, & officij in priuatis ipſorũ domibus, Cappellis, Oratorijs, & Eccleſijs ſuis bãnitos quoſcunq;, ſiuè à ſçculari, ſiuè ab eccleſiaſtica Curia, tàm ad tempus, quàm perpetuò vllo modo receptare, ſeu tenere, vel auxilium, fauorem, victũ, & alia huiuſmodi eiſdem ſubminiſtrare, vel ſubminiſtrari facere præſumat, ſub pæna exilij per ſemeſtre, & ſcutorum viginti quinque ad pias cauſas arbitrio noſtro ſoluendorũ.

Quoad confugientes ad Eccleſias prætextu Immuni-

tatis eccleſiaſticæ beneficio gaudendi, ne facinoroſis huiuſmodi, ob immunitatis priuilegium ad maiora crimina committenda anſa præbeatur ſeruari mandamus, decretum Sacræ Congregationis controuerſiarum iuriſdictionalium, datum ſub die 30. aprilis 1639., quo cauetur, vt triduo elapſo ab eiſdem diſcedere debeant. Et vltra in eis commorari volentes liberè extrahi poſſint, & ad carceres eccleſiaſticas adducantur.

Nullus Clericus mulieres etiam illuſtres legere, ſcribere, aut canere, vel cuiuſuis generis inſtrumentum muſicum pulſare doceat, niſi de expreſſa noſtra licentia, ſub pæna ſuſpenſionis à diuinis, aut alia ad arbitrium noſtrum infligenda. Nec alicui laico in aliquo famulari audeat, ſi licentiam à Nobis priùs non petierit, ſi verò alienæ Diæceſis, aut nationis ſit, & voluerit alicui deſeruire, aut in noſtra Diæceſi commorari, vltra licentiam celebrandi, & inſeruiēdi à Nobis in ſcriptis obtinenda, fideiuſſionem etiam centum ſcutorum Nobis præſtare teneatur de ſeruandis noſtris conſtitutionibus, & edictis, ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

Vt hęc omnia ab Eccleſiaſticis libenti animo obſeruētur, memores eſſe proprij ſtatus, & dignitatis, ſeq; in ſortē Domini vocatos, & tot priuilegijs fuiſſe ditatos, ea qua poſſumus efficaciori adhortatione monemus, & enixè rogamus.

De modo Diuinum Officium recitandi, et Miſſam celebrandi.
CAP. III.

PSallendum eſt corde, mente, & ore, æmulantes in militanti Eccleſia triumphantis laudes, has feruentiori,

quæ

qua poſſumus deuotione tenemur perſoluere.

Recordentur omnes in ſacris conſtituti teneri ad Officium diuinum quotidiè dicendum, & qua decet forma, & modo in rubricis deſcripta, & poſita. Nec Deum laudare deſinant culpæ tàm grauis damnum incurrentes. Alij autem obtinentes beneficium, etiamſi in minoribus, aut in prima tonſura tantùm reperiantur eadem obligatione ligari; Quod ſi legitimo ceſſante impedimento, quiſquam negligens compertus fuerit, præter peccati mortalis reatum, quem incurrit, & amiſſionem fructuum ſui beneficij ad ratam, alijs etiam pænis arbitrio noſtro plectetur.

In Parochialibus Eccleſijs Diæceſis noſtræ omnibus diebus Feſtis de præcepto Veſperæ cantentur, clara, & ſonora voce per Parochum, & alios Sacerdotes, & Clericos, ſi adſint inſeruientes illi Eccleſiæ, ſub pæna cuilibet ipſorum librarum viginti quinque pro qualibet vice, Pijs locis applicandarum.

Decernimus, vt Sacerdotes, & Clerici omnes nulli Eccleſiæ addicti præfatis diebus Feſtis ad Eccleſiam Parochialem, ſub qua habitant, accedere debeant, & teneantur ad Parochum in præmiſſis coadiuuandum, ſub pæna librarum duodecim, & alijs arbitrarijs totiès quotiès negligentes, vel contrauenientes fuerint, teneanturq; Parochi de his Epiſcopum certiorem facere.

Quolibet die Feſto munus præcipuum ſit Parochorum docere doctrinam chriſtianam, ad quam teneantur etiam conuenire cæteri Clerici, & ſi Parochus ſit infirmus, aut alio impedimento detentus, per Cappellanum id fiat, ſub pæna ſcutorum decem pro qualibet vice, in caſum contrauentionis ipſo facto incurrenda.

Vt ea, qua decet reuerentia, diſtinctione, integritate, ac

ac deuotione tàm diuinum peragatur Myſterium, & Sacrificium, & ne populus, & adſtantes ad illicita colloquia, & ſcandala deriſoria excitentur; Monemus in Domino omnes Sacerdotes, Miſſam celebraturos, vt priùs perlegant, & dicenda præuideant; Qui verò indeuotè, ac nimis currenti lingua, vel ſine clara verborum expreſſione Miſſam recitare auſus fuerit à Nobis ſuſpendetur, & grauitèr punietur pro qualitate defectus, donèc reſipiſcat, & ea qua decet grauitate, & aptis cereemonijs celebrare ſtuduerit. Mandantes Rectoribus, vel Præfectis Eccleſiarum, ſeu Oratoriorum etiam Laicis, quod ſi cognouerint Sacerdotes indeuotè, nimis celeritèr, & irreuerentèr abſq; cereemoniarum diſtincta obſeruantia celebrantes, Nobis, vel Vicario noſtro generali, & extrà Vicarijs noſtris foraneis deferant; quibus ſuſpendendi tales à diuinis, prout eis prudentèr videbitur facultatem concedimus; donèc huiuſmodi defectuoſos in tàm ſacro pertractando myſterio denunciauerint.

Recordentur omnes Sacerdotes tàm in materia Sacrificij, quàm in paramentis ſeruare miſſalis rubricas; Et præſertim ſtatuimus, vt tàm in Miſſæ, quàm in cæterorum diuinorum celebratione candelæ ſint cereæ, duæ ad minus in Miſſis priuatis, ſex verò in ſolemnioribus, quæ vncijs tribus inferiores eſſe nequeant; Et vnam ſaltem mediæ libræ ad minus in qualibet Miſſa, etiam priuata accendi iubemus à conſecratione vſque ad communionem incluſiuè, & qui in his deliquerit pro culpæ modo arbitrio noſtro punietur.

Miſſa hora competenti iuxta populi neceſſitatem, & numerum Sacerdotum celebretur.

In Oratorijs ſodalitatum ſæcularium, alijſq; Eccleſijs, Cappellis, aut Oratorijs noſtræ Diæceſis, quæ Parochia-

lis

Digitized by Google

lis Eccleſiæ finibus continentur non liceat celebrare Dominicis, & Feſtis diebus, niſi abſoluta Miſſa parochiali, ſub pæna Celebranti triginta librarum pro qualibet vice.

Excipimus tamèn ab hac lege Feſtum titulare Sancti illius Eccleſiæ, aut Oratorij.

In priuatæ verò domus Oratorio ſi ex priuilegio Summorum Pontificum indultum ſit, aut fuerit, vt celebretur, exceptis ſolemnioribus Feſtis, tenor eiuſdem priuilegij ſeruetur, nec ſacrum in huiuſmodi Oratorio fiat in die Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Dñi, Annuntiat., & Aſſumpt. B. M. V., SS. Petri, & Pauli, & omnium SS.. Sciantque ij, qui tali priuilegio Miſſam in priuato Oratorio celebrandi fruuntur, tale priuilegium per mortem priuilegiati expirare: In Oratorijs tàm publicis, quàm priuatis candelarum, oliuarum ramorum, ouorum, & frugum benedictiones, ſub pæna benedicenti ſuſpenſionis à diuinis, laicis verò viginti quinque librarum fieri poſſe prohibemus. Nemo præſumat, niſi Parochus, vel ſine illius licentia in Miſſa ſe vertere ad populum ad oblationes ſuſcipiendas, vel aliquid publicandum, ſeu ſermonem habendum, ſub pæna ſcutorum quinque Parochiali applicandorum; ſub qua etiam pæna prohibemus quibuſcunq; Parochis patenam in Miſſis deoſculandam præbere, nec non in pace danda pro eleemoſinis colligendis circuire per Eccleſiam, eique tantùm permittimus recipere oblationem cum pace ad altare.

Iuxtà Sacræ Congregationis Concilij decretum, nullus Parochus exponat capſulas cum inſcriptione (*Eleemoſina pro Miſſis mortuorum*:) liceat tamen pro officijs celebrandis mortuorum quæritare per parochiam, & de collectis eleemoſinis, iuxtà decreta viſitationis, depoſitum ſeruetur

fide-

fideliter in capſula ad id deſtinata, & ad tollendam ſuſpicionem fraudis vna clauis apud Parochum, alia apud Deputatum retineatur, & eadem capſula non aperiatur abſq; amborum præſentia, quod ſi in fidelitate deliquerint, ſciant à Nobis omninò fore puniendos.

In ſacriſtia cuiuſcunque Eccleſiæ, etiam Oratorij habeatur tabella publicè affixa, in qua ſint deſcripta onera Miſſarum, legata dicta de cauſa relicta, cum nominibus teſtatorum, & qua die menſis anniuerſaria ſint celebranda, ſub pœna tàm Parochis, quàm Prioribus confraternitatum ſcutorum decem in ſuffragium mortuorum applicãdorum: Ad cuius vigilantiam in Ciuitate deputatos Viſitatores, & extra Vicarios foraneos requirimus.

Onera perpetua Miſſarum nullatenùs ſuſcipiantur à ſæcularibus, & à Clero ſæculari, ab vllo nempè Capitulo, Collegio, Societate, & Congregatione, ſeu alicuius loci pij Superiore abſque noſtra licentia, vel Vicarij noſtri generalis in ſcriptis concedenda, ſub pœna laicis interdicti, Eccleſiaſticis verò ſuſpenſionis à diuinis. Eleemoſinas Miſſarum pro diebus ferialibus in triginta, feſtiuis verò in quadraginta ſolidos taxamus; quotidianæ verò Miſſæ ſtipendium, ſaltem quinquaginta ſcutorum à decem Iulijs monetæ romanæ eſſe volumus; & declaramus, quod ſi Sacerdos minorem eleemoſinam accipiat, nihilominus ad celebrandum Miſſam iuxtà dantis intentionem, nulla ſuffragante excuſatione teneatur.

Vt autem indemnitati Eccleſiarum ſubueniamus, ſingularitèr in ſuffragijs mortuorũ pro quolibet numero centum Miſſarum continuatis diebus celebrandarum, liceat viginti libras pro conſumptione paramentorũ, & alijs occurrentibus impenſis accipere, quarum dimidia in vtilita-

tem

Digitized by Google

tem Eccleſiæ erogari mandamus, & eleemoſinam dantes eas ſoluere teneantur, & compelli poſſint.

Nemo exter ad celebrandum admittatur in quacunque Eccleſia, ſeu Oratorio, etiamſi iuris patronatus, vel Regularium fuerit, niſi eorũ Rectoribus, ſeu Præfectis, ac Sacriſtis ſit benè notus, & licentiam noſtram in ſcriptis factam eis exhibeat; & qui aliter facere auſus fuerit, Celebrans vltra ſuſpenſionem à diuinis per bimeſtre, pænam ſex ſcutorum pijs locis applicandorum incurret.

Admittentes verò quocunque nomine vocentur, pęnam arbitrio noſtro luere volumus. Et ne vllus excuſari valeat in ſacriſtijs earundem Eccleſiarum, etiam Regularium, & Oratoriorum, Confraternitatum, & Piorum locorum Edictum publicandum affigi, & ſeruari iubemus.

Vt autem, quæ de oneribus Miſſarum ſub felic. record. Vrbani VIII. per Sacram Congregationem Concilij ſancita fuerunt, omnibus pateſiant infraſcripta apponuntur decreta extenſa in conſtitutionibus Synodalibus fol 23.

De Sacramento Ordinis.
CAP. IV.

NOn loca, vel Ordines Deo nos proximos faciunt, ſed Nos, aut opera, & bona ei coniungunt, aut mala diſiungunt. Ait Gregorius.

Agnoſcat vnuſquiſque Ordinem ſuum, & quid dignum ſit eo Ordine, quem ſuſcipit, intelligat, & libret actus ſuos, ità etiam ſermonem, inceſſum quoque, & habitum moderetur, vt cum Ordine ſuæ profeſſionis conueniat, ne audiat ad ſe à Deo, quia propter vos blaſphęmatur nomen meum inter gentes: ſcribit Origenes, & vt omnia Greg. ep. ad Athan. Orig. in Leuitic.

ho-

honeſtè, & ſecundum Ordinem fiant in Eccleſia, vt hortatur D. Paulus.

Paul. ad Corinth. cap. 14.

Ad primam tonſuram accedere nemo præſumat, niſi Sacro Chriſmate delibutus, & Chriſtiana doctrina inſtructus.

Minoribus Ordinibus initiandi præter linguam latinam, & cantum gregorianum, in quibus verſatos eſſe volumus, Baptiſmi fidem, Religionis atteſtationem Parochi, & ſcholæ Magiſtri exhibere teneantur, alioquin ad Ordines non ſuſcipientur.

Exorciſtæ Ordine inſigniti animaduertant ſibi propterea energumenos exorcizare minimè licere, ſicuti nec cuilibet Sacerdoti, ſiuè curam animarum habenti, ſiuè non, etiam Regulari cuiuſcunque inſtituti, niſi ſpecialem facultatem huiuſmodi munus exercendi in ſcriptis à Nobis obtinuerit, ſub pæna ſuſpenſionis à diuinis, & decem ſcutorum, & alijs Nobis arbitrarijs.

Qui verò exorcizandi facultatem obtinuerit, Medicos conſulat, an morbus ſit à natura, vel à dæmone, vitam, & mores exquirat.

Orationibus, Sacrificijs, & precibus à Deo auxilium petat, nec exorciſmi fiant extra Eccleſiam, niſi exorcizandus ita ſit corpore affectus, vt ad eam transferri nequeat, neque ante ortum Solis, aut poſt eius occaſum; nec coram frequenti populo.

Adhibeantur tamen vbique viri laudatæ vitæ, & famæ, & vnus ſaltem, aut duo Eccleſiaſtici, excluſis omninò pueris, & mulieribus, niſi adiuuantibus, (ſi mulier fuerit.)

Sacram Euchariſtiam nunquam e tabernaculo extrahat ad eam imponendam ſuper caput obſeſſi, nec Reliquias Sanctorum in eius manibus ponat.

Ad Sacros Ordines promouendi afferant literas teſtimo-

moniales Ordinum ſuſceptorum, & teſtimonium, quod per annum in ijs fuerint verſati, niſi cum illis ſuper interſtitijs diſpenſetur; nec non de vita, & moribus, de ſeruitio Eccleſiæ frequentia communionis, doctrinæ Chriſtianæ, & omninò de tonſura, & habitu clericali formalitèr, & aſſiduè geſtato.

Nemo ad ſacros Ordines promouebitur, niſi ad titulum, vel beneficij Eccleſiaſtici pacificè poſſeſſi, aut penſionis, vel patrimonij, ſi ita Nobis viſum fuerit expedire pro neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiarum, ſecundum qualitates perſonæ ordinandæ.

Ad cuius titulum quis erit promouendus, talis eſſe debebit omni in caſu, vt ad victum, & ſuſtentationem perſonę promouendæ honeſtè ſufficiat: nempè ſcutorum quinquaginta ad minus viginti quinque annui redditus, & detractis oneribus, iuxta æſtimationem per duos peritos faciendam, ſi patrimonium in ſtabilibus fuerit aſſignandum.

Poſt verò ſuſceptum Subdiaconatum reſignari non poterit beneficium, nec acceptetur reſignatio, niſi facta mentione, quod reſignans ad illius titulum promotus fuerit, & cōſtito, quod aliundè viuere commodè poſſit, alioquin reſignatio nulla erit; Patrimonium verò, aut Penſio alienari, extingui, vel remitti nullateaùs poſſint, ſine noſtra in ſcriptis licentia, quæ nunquam concedetur, donec Ordinatus beneficium Eccleſiaſticum fuerit adeptus, vel aliundè habeat, vnde viuere poſſit, iuxta decretum S. Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 2., aliàs ipſo iure ſuſpenſus remaneat; ſi careat titulo, alienatio irrita ſit, & pænam ſcutorum viginti quinque luat.

Inſupèr patrimonium non ſit commenticium, & ſimulatum, ſed verum, & reale conſtitutum in bonis immobi-

libus, certis, ac fructiferis, quæ ære alieno grauata non ſint, ita vt libera, apud Ordinandum toto vitæ ſuæ tempore permanere debeant, nullo in contrarium pacto refragante.

Vt autem patrimonia, quæ pro Ordine Subdiaconatus ſuſcipiendo rectè, & abſque vlla fraude conficiantur, volumus, vt de ijs in Cancellaria noſtra, & non alibi, & per Cancellariũ noſtrũ, ac non niſi de licentia noſtra ſecũdum formã Nobis beneuiſam fiant rogitus, ibique iuramenta neceſſaria prȩſtentur, & teſtes ſuper in eis contentis dilingentèr examinentur, alitèr eadem patrimonia reijciantur.

Ordinandi quoque literas teſtimoniales ſui Parochi deferant teſtatum facientis publicationem de ipſis, & eorum deſiderio in propria Eccleſia Parochiali die Feſtiuo inter Miſſarum ſolemnia factam fuiſſe, neq; vllum canonicum impedimentum, aut aliud in contrarium fuiſſe ſibi delatũ.

Vt verò fraudes omnes tollantur, ſtatuimus, vt illæ tantùm donationes ad patrimonij titulum admittantur, quæ à parentibus proprijs, ac agnatis ipſius Ordinandi factæ fuerint cum reali, & actuali traditione, & poſſeſſione bonorum donatorum.

Si quæ verò ab amicis, vel affinibus aliquo ſpeciali caſu exhibeantur, noſtrum erit arbitrium illis annuere, pro vt magis in domino expedire viſum fuerit, & qualitas facti, & perſonarum ſuadebit.

Quod, vt cautiùs omninò, ac diligentiùs fiat, ſancimus, vt qui ad Ordines præfatos promoueri voluerint ante mẽſem ad minus ipſarum habendarum Ordinationum Nobis, vel Vicario noſtro generali perſonalitèr præſentari debeant, vt debita adhibita diligentia, requiſita, ac neceſſaria quæcunque diſcutere ſuper præmiſſis, ac indagare tu

tiùs,

tiùs, & accuratiùs valeamus.

Qui ad Ordines ſuſcipiendos ex aliena Diæceſi aduenerint, iuxta Sac. Concil. decreta exhibeant dimiſſoriales literas ſuorum Ordinariorum, quibus teſtimonium fiat de vita, ætate, natalibus, & moribus, de patrimonio, penſione, aut beneficio, ad cuius titulum ordinandi ſint, & de alijs requiſitis, neque excedant datam trium menſium.

Nos autem literas dimiſſoriales pro Ordinibus ab Epiſcopo alieno accipiendis non concedemus, niſi ex neceſſaria cauſa, & tunc etiam non niſi præuio examine, & viſis neceſſarijs requiſitis.

Et qui ab alieno Epiſcopo cum noſtris dimiſſorialibus promoti fuerint teſtimoniales literas Ordinis ſibi collati intra menſem in Cancellaria noſtra Epiſcopali exhibere teneantur, vt in librum ordinationum referri poſſit, à quo fuerint promoti, & quo tempore.

Qui liber, ſeu filtia in noſtra Cancellaria Epiſcopali habeatur, in quo notentur nomina omnia Clericorum, etiam Regularium, qui ad primam tonſuram, ſeu ad quemcunq; Ordinem promouebuntur, cum die, & anno, & notetur etiam ſi promotus fuerit cum breui diſpenſante ſuper ætate, irregularitate, vel interſtitijs, & cum dimiſſorijs proprij Epiſcopi, ſi ex aliena Diæceſi fuerit.

De Sacramento Baptiſmi.
CAP. V.

SI baptizata eſt caro Chriſti, quæ ſine peccato erat propter exemplum imitationis; quantò magis baptizanda eſt caro mortis propter euitandum iudicium damnationis: docet Auguſtinus, & nulli aliquatenùs eſt ambi- Au. lib. 8. de bap.

gendum, tunc vnumquemque fidelium Corporis, Sanguiniſq; Domini participem fieri, quando in Baptiſmo membrum Chriſti corpus efficitur; Et ſi impoſſibile omninò erat per mare rubrum pertranſire, niſi miraculo facta via fuiſſet; sìc à priore vita ſine medicatione Baptiſmi non poſſumus ad cælos conſcendere Ghriſoſt.. Cùm ergò Baptiſmi ſacramentum ſit ianua omnium Sacramentorum tàm in ipſo, quàm in alijs Sacramentis adminiſtrandis Rituale romanum nupèr æditum neceſſaria, & multa valdè vtilia docens obſeruetur, quæ ideò à noſtro Clero ſeruari volumus, & iubemus, & ab omnibus Parochis haberi mandamus.

Ghriſoſt. in Matth.

Omni, qua decet reuerentia, & deuotione Sacramenta tanquam ad noſtram ſalutem à Chriſto inſtituta pertractentur.

Stola cum ſuperpelliceo in ipſis adminiſtrandis ſemper adhibeatur, neque ratione ipſorum quis aliquid etiam ſub nomine ſimplicis eleemoſinæ petere audeat.

Rectores omnes per ſe ipſos, & non per ſubſtitutos, niſi ex neceſſitate, & tunc tantùm per Nos approbatos ea adminiſtrent.

Quęlibet Parochialis Eccleſia baptiſmalem fontem ea, quæ à Nobis fuit in viſitatione præſcripta ratione conſtructum habeat, ſupra quem, aut propè ſit imago, aut effigies S. Ioannis Baptiſtæ.

Super eodem fonte ciborium ſit tutum, ac tuta claui clauſum, tela, vel panno viridi, aut violaceo coopertum, & tali cuſtodia munitum, vt nullus baptiſmali aqua aliquando abuti valeat.

Cocleare ad aquam fundendam ex argento, aut orichalco, non autem ex vitro, aut ligno habeatur ad caput infan-

infantis baptizandi aqua inſpergendum tantùm deſtinatū.

Omnia, quæ ad Baptiſmi ſacramentum neceſſaria ſunt, munda, pura, diligentèr ſeruare, ipſaque omni reuerentia tractare ſtudeant

In ſuperiori ciborij ipſius parte armariolum conſtruatur, in quo ad huius Sacramenti adminiſtrationem neceſſaria (excepto Oleo Sancto) etiam tuta claui munita cuſtodiantur.

In baptiſterio ipſo, vel propè ipſum adſit ſacrarium ad aquam, & panis reliquias excipiendum, quibus Sacerdotis manus Oleo ſacro illitæ abluuntur, & abſterguntur.

Sacrorum Oleorum vaſcula, ſi fieri poteſt ſint argentea, nitida, & munda, ſin autem ex finiori ſtanno, omnique decenti honore teneantur.

Caueat Sacerdos baptizans, vt dum baptizat verba formæ conſuetæ, cum debita intentione clarè, & diſtinctè pronuntiet; hæc nempè: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; nec alia prorſus forma minimum aucta, vel diminuta vtatur.

Et quia quilibet idoneus eſt huius ſacramenti Miniſter, docebit Parochus Populum non niſi forma ſuperiùs expreſſa vtendum eſſe, & aquam ſolùm naturalem adhibendam, verbaque eo tempore proferenda, quo infantis caput abluitur.

Quotiès tamen, vel ab Obſtetrice, vel ab alia perſona idiota Baptiſmus conferendus erit, concedimus, vt vulgari idiomate forma pronuntietur, quam Parochus pariter Populum docebit.

Admonebit etiam ſeruandum hunc ordinem in baptizando, vt Sacerdos ſi adſit Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, & vir fæminæ.

Ob-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Obſtetrices tamen, quæ baptizare conſueuerunt improbandæ non ſunt, ſi interdum præſente aliquo viro, qui huius Sacramenti minimè peritus ſit, hoc munus ipſę exequantur.

Nulli Mulieri liceat officio Obſtetricis fungi, niſi priùs à proprio Parocho examinata, & inſtructa fuerit de forma Baptiſmi, & facultatem ab ipſo obtinuerit.

Parochi omnes ante cuiuſcunque Infantis ablutionem diligenter perquirant, an domi fuerit baptizatus, & à quo, quæ materia fuerit adhibita, & quæ forma; ſi ritè, & rectè omnia peracta compererit, conſuetas ceremonias ſuppleat omiſſa forma, & ablutione.

Si poſt diligentem indaginem adhùc probabiliter dubitet, an infans ſit baptizatus; baptizet ſub ea conditione; *Si non es baptizatus, Ego te baptizo, &c.*

Propterea ſi ad Eccleſiam deferatur infans inuentus expoſitus licèt collo, aut alibi appenſam, vel appoſitam habeat cartulam, in qua ſcriptum ſit (*E' battezato:*) non tamen conſtet à quo fuerit baptizatus, baptizandum ſub prædicta conditione cenſemus, & ne res tanti momenti in incerto relinquatur, ità obſeruari ſtrictè mandamus.

Paruulorum Baptiſmus non differatur vltra octauam diem abſque noſtra licentia, ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

Parochi in priuatis locis, & domibus aliquem non baptizent, cuiuſcunque etiam nobilis conditionis exiſtat, excepta neceſſitate, abſque noſtra licentia, ſub pæna Nobis arbitraria.

Et ſi quis paruulus ob neceſſitatem domi, aut in alio loco priuato ablutus fuerit, curent Parentes, vt ceremoniæ

Bap-

Baptiſmi intra terminum vnius menſis non differantur, ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

Non alia nomina, quam Sanctorum infantibus imponantur, reiectis prorsùs nominibus ridiculis, & quæ infidelium, aut impiorum hominum, vel mulierum memoriam referunt.

Vnus tantum ſiuè vir, ſiuè mulier, vel ad ſummum vnus, & vna admittantur ad ſuſcipiendum è ſacro fonte infantem, nunquam verò duo viri, vel duæ mulieres, aut Pater, aut Mater baptizandi, vel Procurator, niſi de mandato conſtet per authenticum Notarij rogitum, excludēdo mandata per ſpeciales epiſtolas, aut aliter confecta, (exceptis Sereniſſimis Principibus, quorum fides ſummo in obſequio habenda eſt,) ſub pæna contrafacienti ſcutorum viginti quinque irremiſſibilitèr exigenda, & locis pijs per Nos applicanda.

Non admittantur ad munus ſuſceptoris Sacerdotes, aut Clerici ſæculares in Sacris conſtituti, aut alij eorum nomine, niſi à Nobis obtinuerint licentiam, ſub pænis arbitrarijs, excludimus etiam Monachos, Moniales, & alios cuiuſcunque Ordinis Regulares per ſacrorum Canonum diſpoſitionem Patrini officium gerere, penitùs interdictos.

Ab huiuſmodi paritèr munere omninò repellantur Infideles, Hæretici, publicè Excommunicati, aut Interdicti, publici Peccatores, & qui eo anno Communionis Paſchalis, aut Confeſſionis præcepto non ſatisfecerint, aut qui ſana mente non ſunt, vel Fidei rudimenta ignorant.

Moneant Parochi Patrinos onus eis eſſe impoſitum, filios ſuos ſpirituales, quos de ſacro fonte Baptiſmi ſuſceperunt, vbi opus fuerit, Fidei rudimenta docendi, & cognationem ſpiritualem ab eis contrahi cum Baptizato, eiuſq; Genitoribus.

Indi-

Digitized by Google

Indicent etiam Matribus, vel Nutricibus, nè Infantes anno minores in eodem lecto cubantes, ſecum retineant ſine cunetto, vel alio ſimili artificio, quod cunetti formam ſuppleat, vt poſſit impediri ſuffocationis periculum, & hoc ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſecuta tamen ſuffocatione, Nobis reſeruatæ, & alijs arbitrarijs.

Parochi ſuper altaribus (exceptis Cappellis Sereniſſimorum Dominorum) infantes ad baptizandum collocari non permittant; linteola, ſiuè mantilia ad abſtergenda ipſorum capita adhibita, non in vſum prophanum, ſed Eccleſiaſticum pro Miſſæ miniſterio conuertant.

Statim, ac quis baptizatus fuit, nomina, & cognomina ipſius Patris, Matris, ac Patrinorum, cum data diei, natiuitatis, & Baptiſmi, menſis, & anni, non per abacum, ſed per verba expreſſa in libro ad hoc confecto benè ligato, & textulato per Parochum diligenter deſcribi volumus, iuxtà formam Ritualis decretam in Viſitatione, ipſumque librum poſtea perfectum vnà cum cæteris Coniugatorum, & Mortuorum, ac etiam Confirmatorum rectè, cautè, & diligentèr aſſeruari, ſub arbitrarijs pænis præcipimus, & dictos omnes libros Nobis, aut Viſitatori noſtro deputando ad noſtrum nutum præſentari, & exhiberi arctiſſimè iubemus.

Volentes nihilominùs, vt ſingulis annis Parochi inter duo Paſchata eoſdem libros ad Cancellariam noſtram à Cancellario reuidendos, & pro fide præſentationis ſubſcribendos, ſub decem ſcutorum pæna deferre teneantur.

De Sacramento Confirm.
CAP. VI.

VT Baptiſmi gratia roboretur, Confirmationis ſacramento Eccleſia in Fidelibus robur præſtet, & quia Fortitudo præcipua eſt inter Cardinales Virtutes. Iuſtorum Fortitudo eſt carnem vincere, proprijs voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius Mundi aſpera pro æternis pręmijs amare, proſperitatis blandimenta contemnere, aduerſitatis metum in corde ſuperare, docet Diu. Gregorius. Et hæc omnia Confirmati acquirunt. Greg. lib. 7. Moral.

Cum ab Epiſcopo adminiſtrandum erit hoc Sacramentum, Fideles à Parochis de illius virtute, & excellentia inſtruantur. Ad vltimum confirmati moneantur, vt præmiſſa Confeſſione illud ſuſcipere non omittant, & grauiſſimè illum peccaturum, qui ex contemptu eam omitteret. Doceant etiam Sacramentum hoc vnum ex illis eſſe, quæ Charaterem imprimunt, & ideò iterari non poſſe, ſub pæna peccati mortalis.

Non admittantur ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum ſeptennio minores, aut excommunicati, vel publicè criminoſi, inconfeſſi, & qui in Paſchate Communionem non ſumpſerunt.

Et quia in hoc Sacramento æquè, ac in Baptiſmo, cognatio ſpiritualis contrahitur, quæ Matrimonium inter Cōfirmatū, eiuſque Patrem, & Matrem, ac Patrinum non ſolùm impedit, ſed etiam dirimit; Idcircò Parochi prædictorum nomina in ſupradictum librum referant; vt de memorato impedimento perpetuò conſtare poſſit.

Vtque multiplicitas cognationum tollatur, vnus, aut

vna ad huiuſmodi munus poſt tres vices ampliùs non admittatur.

Nec non in Baptiſmate Patrinum, aut Matrinam, etiam in Confirmatione idem munus ſuſcipere prohibemus, extra tamen caſum neceſſitatis.

Excludentes quoque Fęminas à ſuſceptione Maſculorũ, & Maſculos à ſuſceptione Fæminarum; Nec non quoſcunq; alios, quos in Baptiſmo reijciẽdos eſſe declarauimus.

De Eucbariſtia Adminiſtratione.

CAP. VII.

QVanta cordis contritione, & lacrymarum fonte, quãta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, atque animi puritate diuinum hoc, & cæleſte myſteriũ eſt pertractandum, vbi Caro Chriſti, & Sanguis pretioſus in Veritate ſumitur, & adoratur, vbi ſummis, ima humanis Diuina iunguntur, vbi adeſt Sanctorum præſentia Angelorum, & reuerentur, & contremiſcunt; dicebat Diuus Ambroſius.

D. Ambr. in orat. de Euch.

Sacramentum Dei altiſſimi ſuſcipiendum eſt, non diſcutiendum, venerandum, non dijudicandum: Fide fortitum, non innatum, traditione ſancitum, non traditione adinuentum. Chriſtus tangi poteſt, ſed affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non ſenſibus. Tanges manu Fidei, Deſiderij digito, Deuotionis amplexu, tanges oculo mentis D. Bernardus.

D. Bern. ſerm. 20. in cant.

Parochi ergò de hoc ineffabili Myſterio ad Populum verba faciant, eaque doceant, quæ illius præſtantiam, & Maieſtatem magis exprimere poſſunt, vt cæleſtis huius Sacramenti Fidelibus nota fiant, & caueant ne abſq; magna reue-

Digitized by Google

reuerentia, & deuotione ad illud miniſtrandum accedant.

In omnibus Parochialibus Eccleſijs Sanctiſſima Eucharistia continuò aſſeruetur. In Oratorijs verò, vel alijs Eccleſijs non Parochialibus quibuſcunque (ſolis exceptis Eccleſijs Regularium, & Eccleſijs exterioribus Monialium ſub clauſura viuentium) retineri non poſſit abſq; priuilegio Apoſtolico.

Tabernaculum, vbi aſſeruandum erit Sanctiſſimum Sacramentum in altari maiori, vel in alio, quod eius venerationi, & cultui commodiùs, & decentiùs Nobis conſultis iudicabitur, collocetur; ita vt nullum ſacris functionibus, aut Eccleſiaſticis Officijs impedimentum præbeat.

Hoc ſit, qua maiori poteſt decentia, & ornatu externo elaboratum, munitum conopeo, ex ſerico, aut velo congruentis coloris, & baldachino decenti, iuxta facultatem Eccleſiæ tectum.

Intrinſecus verò panno ſerico, albo, ſeu rubro ornatum ſit, omninò vacuum à Reliquijs, vaſis Infirmorum, aut qualibet alia re, vt non niſi pro dicto Sacramento cuſtodiendo deſeruiat.

Pixis, quæ Particulas conſecratas continebit ſit argentea, & intùs deaurata, & conopeolo albo tecta, & ſub ea maneat ſemper ſtratum corporale mundum; quę Particulæ in æſtate octauo quoque die, & in hyeme qualibet decima quinta renouentur, & Pixides diligentèr ab omni fragmento mundentur.

Tabernaculum verò nunquam apertum relinquatur, & clauis penès Parochum adſeruetur, ſitque deaurata chordula, & flocculo ſericis ornata.

Habeat vnaquęq; Eccleſia Parochialis duas ſaltèm Pixides, vnam maiorem, vbi aſſeruentur Particulæ pro ado-

Digitized by Google

ratione, & Populi Communione, alteram minoris formæ pro deferendo ad Ægrotos Sanctiſſimo Viatico.

Præter dictas Pixides habeat etiam Oſtenſorium argẽteum interiùs deauratum, vel ſaltem æneum, auro litum interiùs, & exteriùs, cum lunula argentea deaurata, & ſcutulo argenteo etiam inaurato, & ab omni parte ita reflexo, vt ſi quæ fragmenta deciderint colligi poſſint, ſitq; cryſtallo circumdatum, vt Hoſtia appareat, & à puluere, & vento tuta ſit.

Ante Tabernaculum, vbi Sanctiſſimum Sacramentum adſeruatur continuò lampas ex oleo puro oliuarum ſit accenſa, expenſis Societatis Corporis Chriſti, vbi adeſt, vel Parochi, prout erit conſuetudo.

Si autem huiuſmodi Societas Sanctiſſimi Corporis Chriſti non ſit, curent Parochi, vt quam prius erigatur; & ſæpè certiorem faciant Populum de Indulgentijs ei conceſſis, vt ad venerationem, & cultum tanti Sacramenti Fideles magis excitentur.

Diligentèr inuigilent Parochi, vt omnes, qui ad annos cognitionis peruenerint pro ſua quiſquę Parochia pręcepto omninò in Paſchate ſatisfaciat. Propterea inſtante tẽpore paſchali ſingulis annis diligenter deſcribant omnes, & ſingulos intra fines Parochiæ degentes præcepto adſtrictos, deindè ijs, qui in Paſchate communicabunt ſchedulam diſtribuent cum aliquo proprio, vel Parochi, vel Eccleſiæ ſigno, & currenti adnotato anno per ſyllabas, & non per numerum, & eam poſt Dominicam in Albis repetent, & qui non reddiderit violati præcepti reus erit, niſi de conſilio Confeſſarij, & Parochi Communionem diſtulerit, vel de adimpleto fidem fecerit.

Tranſactis quindecim diebus à die Paſchatis, Nobis,

aut

aut Vicario noſtro generali nomina eorum, qui non communicauerint, denuntient, expreſſis etiam cauſis, quas extra Confeſſionem cognouerint; vt opportunum remedium, tùm ad eorum ſalutem, tùm ad ſcandala euitanda, & ad aliorum exemplum adhibeamus.

Moneant etiam Parochi Populum die Dominica Paſchatis, & duobus diebus ſequentibus, vt omnes communicent per totam octauam Pentecoſtes, ſub pæna interdicti Eccleſiaſtici, per quod prohibetur perſonis interdictis, ne ſuſcipiant Sacramenta, ne interſint diuinis Officijs, ne ve ſepeliantur in loco ſacro.

Et ij Interdicti ad cuiuſcunq; Parochialis Eccleſiæ valuas publicentur, & in ſcriptis eorum nomina, & cognomina ponantur, & etiam ad valuas Eccleſiarum Regularium, ſeu Oratoriorum figantur, vt & ipſi à ſuis illos arceant Eccleſijs, neque ad diuina eos admittant Officia, & Sacramenta, nec ad eccleſiaſticam ſepulturam.

Vlteriùs certificabunt Parochi omnes, & ſingulos hoc Eccleſiæ præceptum negligentes, quod ſi in contumacia perſeuerauerint, & in huiuſmodi cenſura obſtinato animo inſorduerint per annum, etiam contra ipſos, tanquam de hæreſi ſuſpectos, procedemus, iuxtà decretum Sac. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. in fin. Quinimmò etiã anno non elapſo, eoſdem alijs pænis temporalibus pro arbitrio noſtro grauitèr mulctabimus.

Ad hoc ſuſcipiendum Sacramentum non admittantur Concubinarij, Fæneratores, Blaſphemi, alijque publici, & notorij criminoſi, & Orationem Dominicam, Fideique Symbolum ignorantes, niſi illi priùs ſatisfecerint, vel pœnituerint; illi verò eam rectè didicerint.

Parochi omnem ſollicitudinem adhibeant, nè Infirmi, abſ-

abſque Viatico Sanctiſſimi Corporis Chriſti decedant.

Cum communicandus erit Infirmus ſignum dari iubeant aliquod campanæ ictibus, quibus Parochiani cõuocentur, ſeu Confraternitas Sanctiſſimi Sacramenti (vbi eſt,) vel alij pij Chriſti Fideles, qui omnes ſacram Euchariſtiam cũ cereis, ſeu candelis accenſis comitentur, & baldachinum, ſeu vmbellam deferant; Et expectabunt quantum ſatis erit, vt conueniant, & quantum fieri poterit ſine infirmi periculo.

Poſtquam conuenerint, qui Euchariſtiam aſſociaturi ſunt Parochus, vel alius Sacerdos de eius conſenſu ad Cõfeſſiones approbatus in Ciuitate, & Oppidis ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali albi coloris indutus, cum velo ſuper humerali decenti ſub baldachino, ſeu vmbella intortitijs, vel candelis circum ardentibus, præcedentibus lanternis cum lumine incluſo, & tintinnabulo, quod aſſiduè pulſabitur, Sanctiſſimum Sacramentum deferant in Pixide, & non in Calice (quem ad hoc opus omninò prohibemus,) in qua duæ adſint Particulæ, ſi vnus erit tantùm infirmus, vel plures, iuxta infirmorum numerum, ita vt ſemper vna remaneat ad Populum, poſtquam redierit ad Eccleſiam, benedicendum, & expleta functione Indulgentias à Summis Pontificibus comitantibus Sanctiſſimum Sacramentũ conceſſas, pronuntiabit, & quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentijs auctoritate noſtra nunc in Domino relaxamus.

Extra verò Ciuitatem, & Oppida ſatis erit, ſi Parochi etiam ſine pluuiali vnam particulam ſub vmbella deferãt, ſed ægroto communicato in reditu ſtola, & ſuperpelliceo exuantur, & extinctis luminibus vmbella demiſſa latente Pixide reuertantur ad Eccleſiã ſuam. Quod ſi longiùs, aut diffi-

difficiliùs iter ſubeundum ſit tempore præſertim hyemali vaſculum argenteum intùs auratum, in quo Sanctiſſimum Sacramentum deferetur; burſa ex ſerico decentèr ornata, & ad collum appenſa aptè includatur, & ad pectus ita alligabitur, vt Sacramentum neque decidere, neque excuti è vaſculo, aut Pixide poſſit.

Moneant Parochi, vt in Infirmorum domibus antequam Sacerdos accedat omnia neceſſaria, & nitida ſint parata.

Ad repellendas tempeſtates, nè vllo modo Pixis cum Sanctiſſimo Sacramento, vt cum ea nubes ſignentur adhibeatur, prohibemus, ſed ſolùm aperto oſtiolo Tabernaculi preces, & conſuetæ Litaniæ recitentur.

Ità paritèr, ſi ex priuata aliqua neceſſitate exponenda ſit Euchariſtia, iuxtà Sacræ Congregationis Decreta in oſtiolo tantùm Tabernaculi, aut in Pixide velata ſuper altari exponatur.

Solemnis expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti non fiat, niſi in Eccleſijs Parochialibus occaſione quadraginta horarũ extra Ciuitatem fieri ſolita, vel alio vrgenti, graui, & publica cauſa à Nobis approbanda.

Qui autem in Eccleſijs etiam Confraternitatum, quocunque prætextu abſque noſtra licentia, (& extrà abſque licentia expreſſa Parochi) illud exponere auſi fuerint viginti quinque ſcutorum pro qualibet vice Confraternitati Sanctiſſimi Sacramenti in Cathedrali noſtra exiſtenti applicandorum, aliamque arbitrariam pœnam omninò luere volumus.

In Eccleſijs Regularium liceat tantùm ob priuatã cauſam aperto oſtiolo Tabernaculi, illud reuerentèr adorare, dummodò, & à Tabernaculo non extrahatur, Pixiſque velata more ſolito remaneat; Si verò ſolemnitèr illud expo-

nere

nere velint, etiam ob cauſam publicam, licentiam à Nobis cum eiuſdem cauſæ expoſitione impetrare teneantur.

De Pœnitentiæ Sacramento.
CAP. VIII.

NIhil eſt in Eccleſia, quod tantùm nobis proſit, quod ſic Virtutes noſtras corroboret, & augeat, quam frequens Confeſſio; Eſt enim ſinus pacatiſſimus, in quo hominum conſcientiæ religantur. Pœnitentiæ enim Sacramentum eſt aduerſus diabolum armatura, & loquendi libertas in conſpectu Dei, & ſola Confeſſionis meditatio filio peccatori aditu facilem ei Patrem efficit; adeò vt etiã D. Ambr. occurreret ad eum. Si ergò teſte D. Ambroſio poſt mortem quoque reſurgere munus Beatorum eſt, ne tardemus hoc Sacramentum amplecti mortuorum; Melior eſt enim modica amaritudo in faucibus, quam ęternus cruciatus in viſceribus, & ſi peccare nos cogit fragilitas innata, & cõfiteri non prohibeat cõfuſio cognata peccati; Et quia peccatum per Pœnitentiam non deletum ſuo pondere ad aliud trahit, ad Pœnitentiæ Sacramentum poſt peccatum recurrendum eſt, in quo Iudex flectitur, & furor eius ſedatur.

Ad hoc præceptum adimplendum tenentur omnes, qui ad annos cognitionis peruenerint, & peccati pœnam incurrere poſſunt, & ad obſeruantiam huius præcepti per Parochos, & Prædicatores ſedulò aduertantur; Quod ſi quis animæ ſuæ ſaluti conſulere noluerit, & Præcepto in Paſchate, monitioni Parochi non paruerit ſaltem per totam Pentecoſtes octauam interdictum eſſe volumus, ſicut ſupra de Communione diximus, & mandauimus, Nobis,

vel

vel Vicario noſtro generali huiuſmodi interdicti abſolutionem adſeruantes.

Nullus Sacerdos, iuxtà Conſtitutionem Vrbani VIII. *Cum ſicut accepimus, &c.* ſub die 12. Septembris 1628., & decretum Sac. Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15., ſiuè Sæcularis, ſiuè Regularis, qui in Diæceſi noſtra Parochiale beneficium non habeat, vel ob audiendas confeſſiones approbatus à Nobis non fuerit, ſęcularium Confeſſiones excipere audeat extrà mortis articulum, etiam per modum reconciliationis; & ſi quis contrafecerit meritas, & determinatas dabit pænas, & Confeſſionem illam nullam ex defectu iuriſdictionis declaramus.

Qui autem approbati fuerint, ſiuè Sæcularis, ſiuè Regularis ſit, & ſub prætextu cuiuſcũque priuilegij abſoluere præſumpſerit ab vllo ex caſibus contentis in Bulla in die Cænæ Domini legi ſolita, & ſignantèr à caſibus Nobis reſeruatis abſque noua, & expreſſa licentia nouerint, ipſo iure excommunicationem Papæ reſeruatam incurrere, & alias etiam pænas, de quibus in decreto Sacræ Congregationis ædito iuſſu Clementis VIII., & Vrbani VIII., prout in ſequenti apparet.

Decretum eiuſdem Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII.

SAc. Congr. S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Conc. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia per prius ab eodem Concil., ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à

caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſueuit, vtpotè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, nec vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus, ac proindè Regulares cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſario exprimendi, nec intrà, nec extrà Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationũ eiuſmodi, quas vel hactenùs obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſeruatis. Ac ſi secùs egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fore, & eſſe. Ab alijs verò caſibus, & cenſuris, ſi quidem Regulares habent à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem Sac. Congregat. Decretis, hac de re æditis, iuſſu S. mem. Clem. VIII. Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctitas Sua ad ſe relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet inuiolabilitèr obſeruari. Romæ 17. Nouem. 1628.

Fr. Ant. Card. S. Honufrij.
P. Fagnanus Sec.

Caſus autem à Nobis reſeruati iſti ſunt, quorum abſolutionem nemo, quantumquè priuilegiatus, niſi de noſtra licentia impendere poteſt.

1. QVi Deum, vel B. V., aut Sanctos publicè, & ex conſuetudine blaſphemauerit.
2. Qui tertio Decalogi præcepto publicè, & ex conſuetudine ſpontè contrauenerit, vel contrauenire fecerit.
3. Qui cum graui damno ignem malitiosè inferens fecerit notabile incendium nemorum, arborum, domorum, & aliarum rerum; vel qui graue damnum in vitibus alienis fecerit, vel arbores virides inuito domino inciderit, vel abſtulerit.

4. Qui

4. Qui deliberatè Parentes, aut Auos percuſſerit, vel homicidium voluntarium, aut membrorum mutilationem etiam voluntariam commiſerit, ſeu mandauerit, conſuluerit, & quomodolibet cooperauerit effectu ſecuto.

5. Qui Infantes non excedentes vnum Annum in lecto extra Cunettum tenuerit, & oppreſſerit.

6. Qui pharmaca, ſeu potiones ad mortem, aut mentis alienationem, atque ad abortum fœtus animati, aut ſterilitatem præbuerit.

7. Qui contra naturam actiuè, vel paſſiuè, etiam cum muliere, ex parte tamen viri tantùm, vel cum beſtijs coierit, vel inceſtum cum conſanguinea vſq; ad ſecundum gradum incluſiuè, ſeu cum affine ex copula licita, vel illicita in primo gradu commiſerit; & qui poſt ſponſalia de futuro ante matrimonium de præſenti copulam inter ſe habuerint.

8. Qui ſiuè maſculus, ſiuè fæmina cum infidelibus copulam quocunque modo habuerit.

9. Qui falſum in Iudicio malitioſè depoſuerit, aut deponi induxerit. Qui periurus in Iudicio in alterius detrimentum fuerit. Et qui literas, tabellas, bullas, proceſſus cauſarum, aliaſque quaſcunque ſcripturas corruperit, violauerit, aut quouis modo falſificauerit.

10. Qui cibos ab Eccleſia vetitos diebus prohibitis extra neceſſitatem, & ſine licentia comederit.

11. Qui legata pia, etiam non requiſitus, per tres menſes poſt maturatum illorum ſolutionis tempus non ſoluerit.

12. Qui ad magicas artes, veneficia, ſuperſtitiones, & alia huiuſmodi generis ſacroſancta Euchariſtia, ſacriſq; rebus abuſus fuerit; Quique ipſam magicam artem, vel veneficia exercet, vt qui Infidelibus in eorum ſuperſti-

Digitized by Google

tionibus operam præſtiterit.

Sciant præterea Confeſſarij appoſitam eſſe Excommunicationem latæ ſententiæ Nobis reſeruatam.

1. Accedentibus, & alloquentibus Moniales, etiam cum licentia, ad malum finem, ſiuè Laici, ſiuè Eccleſiaſtici ſint.
2. Clericis ſine opportuna licentia ad Monialium Monaſteria accedentibus.
3. Notarijs, qui intra quindecim dies Illuſtriſs., & Reuerendiſs. D. Epiſcopum, aut eius Officium certiores non reddiderint de ſcripturis publicis, vel priuatis per ipſos confectis, contractuum, & alienationum factarum ab habita licentia de rebus ipſius Epiſcopatus feudalibus, & emphyteuticis.
4. Exponentibus Hoſpitali magno per ſe, vel per alium ſuos infantes abſque debita ſatisfactione.
5. Opprimentibus in Cunetto infantem.
6. Clerici ſine debita licentia litigantes coram Iudice ſęculari ſuſpenſionem à Diuinis incurrent.

SI autem Sacerdos aliquis, ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis ad audiendas Confeſſiones ſacramentales deputatus, eo impudentiſſimæ impietatis deuenerit (quod Deus auertat,) vt perſonam aliquam, quæcumque illa ſit, ad inhoneſta, ſiuè cum ipſo, ſiuè cum alijs quælibet perpetranda actu ſacramentalis Confeſſionis, ſiuè ante, ſiuè poſt immediatè, aut occaſione, vel prætextu Confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſiuè extra occaſionem Confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocunq; vbi Confeſſiones ſacramentales audiantur, ſed ad Confeſſiones audiendas electo ſub ſimulatione audiendæ Confeſ-

ſionis

ſionis ſollicitare, vel prouocare tentauerit, aut cum ea illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiuè tractatus habuerit, ſciat ſe grauiſſimis pænis fore puniendum, iuxtà Gregorij XV. Conſtitutionem, quæ incipit. *Vniuerſis, &c.*

Sciantque Confeſſarij omnes etiam ſe teneri ex præcepto dictæ Conſtitutionis ſuos Pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs, vt ſuprà ſollicitatos, admonere de obligatione denuntiandi ſollicitantes Nobis, vel S. Officij Inquiſitori; quod ſi facere neglexerint contra ipſos pro culpæ modò procedetur.

Parochi omnes, & eorum Cappellani ad Confeſſiones audiendas vocati promptos, & faciles ſe præbeant.

Superpelliceo, & Stola violacea induti, ſi ſint Sæculares, ſi verò Regulares eo habitu vtantur, quem in Choro ad diuina Officia adhibere ſolent.

In ſede confeſſionali, & non alibì in Eccleſia Sæcularium, maximè fæminarum Confeſſiones audiant, niſi cogẽte neceſſitate, aut infirmitate, & tunc oſtio cubiculi, vbi illæ degunt aperto, & Confeſſiones mulierum in Eccleſijs, aut Oratorijs non audiantur, niſi poſt ortum Solis, & ante eius occaſum.

Sedes confeſſionales tot ſint in qualibet Eccleſia, & ad præſcriptam formam confectæ, quot fuerint neceſſariæ; collocentur in loco conſpicuo, & aperto, ac in earum qualibet ſint crates ferreæ minutis foraminibus perforatæ, & præcipuè ſint affixæ ab exteriori parte, vbi Pœnitentes genuflectunt, aliquæ Imagines ſacræ, & intrinſecus Bulla Cœnæ Domini, & Tabella Caſuum Nobis, vt ſupra, reſeruatorum.

In huius Sacramenti adminiſtratione omnis auaritiæ labes abſit, neque omninò liceat quidquam pro eo, vel ſolo

nutu

nutu exigere, & ſi eleemoſyna Pœnitentibus pro ſatisfa-ctione præſcribenda ſit, eam non ſibi ſub quocunque prętextu dari permittant, ſub pæna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, ſed pijs Locis, vel Pauperibus tribui curent.

Nullus Parochus, vel Confeſſarius, etiam Regularis in aliena Eccleſia abſque noſtra licentia, vel conceſſione Rectoris, aut Parochi eiuſdem Eccleſiæ Confeſſiones audiat.

Regulares autem, qui Infirmorum Confeſſiones audiunt, iuxtà Decretum Sacræ Congregationis in eorum domibus fidem exceptæ Confeſſionis facere, aut proprium Infirmi Parochum de ea certiorem reddere teneantur.

Sac. Cōg. reg. 13. Sept. 1641.

Parochi, & omnes curam animarum habentes præſtò ſint, & ſolliciti, cum ad Infirmos ad audiendas illorũ Confeſſiones vocati fuerint, nè quis eorum cauſa abſque Pœnitentiæ ſacramento de hoc ſæculo vnquam migrare contingat, quod ſi munus ſuum in re tanti momenti rectè, & promptè non obierint, pænam ſcutorum viginti quinque pro qualibet vice, & alias arbitrarias luere volumus.

Omnes autem, & ſingulos Confeſſarios tàm Sæculares, quàm Regulares monemus, atque in Domino efficacitèr requirimus, vt etiam vocati ad audiendas Confeſſiones Infirmorum quolibet tempore, & hora, ſola charitate, & ſalute animarum inſpecta promptè, & ſollicitè accedant.

Aduertant cuncti Medici, quod vltra pænas inflictas in Conſtitutione B. Pij V. pænam interdicti incurrunt, ſi vltra tres dies aliquem Infirmum inconfeſſum viſitare audeant.

Volentes proptereà, vt quatèr ſaltèm in anno, in qualibet nempè Dominica die poſt quæuis quatuor Tempora immediatè ſequenti Conſtitutionem B. Pij V. in vnaquaque Diæceſis noſtræ Parochiali Eccleſia vulgari, & intelligi-

ligibili voce Parochi omnes in Miſſa perlegere debeant, prout ſequitur.

PIVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

SUpra Gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ diuinitus creditum vigilis ſpeculatoris, prout Nobis deſupèr conceditur, exercentes officium ad ea, per quæ animarum ſaluti cum diuini Nominis gloria conſuli valeat, libentèr intendimus, vt Chriſti Fideles poſt Baptiſmum in peccata lapſi per ſacramentum Pænitentiæ Deo reconcilientur.

Sanè cum infirmitas corporalis non nunquam ex peccato proueniat, dicente Domino, languido, quem ſanauerat; Vade, noli amplius peccare, ne quid tibi deteriùs contingat; ac propterea prouidè felicis recordat. Innocentius Tertius Prædeceſſor noſter, Medicis præceperit, vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, nè cum eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur, in deſperationis articulum incidant.

Nos igitur volentes, hoc tàm ſalutare præceptum nulla temporis præſcriptione aboleri, ſed ſemper obſeruari, Conſtitutionem præfatam Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innouamus.

Et hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, quod omnes Medici, cum ad Infirmos in lecto iacentes vocati fuerint; ipſos ante omnia moneant, vt idoneo Confeſſori omnia ſua peccata, iuxta Ritum S. R. E. confiteantur; neque tertio die vlteriùs eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo eius conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quod Infirmi, vt præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerint; coniunctos verò, ac omnes familiares, & domeſticos Infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmi-

Digitized by Google

tate Parochum certiorem faciant, ac tàm Parochus, quàm coniuncti, & familiares præfati Infirmum ad Confeſſionem peccatorum ſuadeant, & inducant.

Quod ſi quis Medicorum præmiſſa non obſeruauerint, vltra pænas in dicta Conſtitutione contentas, quas incurrere declaramur, perpetuò ſint infames, & gradu Medicinæ, quo inſigniti erant, omninò priuentur, & à Collegio, ſeu Vniuerſitate Medicorum eijciantur, ac pæna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur.

Et vt hæc omnia inuiolabilitèr obſeruentur volumus, & eadem auctoritate præcipimus, & mandamus, vt nullus poſt hæc, vbiq; locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio, & Vniuerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra Conſtitutione contenta medio eorum iuramento coram Notario publico, & teſtibus obſeruare in eorũ manibus, vel Ordinarij iurauerint, & de huiuſmodi iuramento in priuilegio, ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat; Quod ſi Collegia, & Vniuerſitates præfatæ non excepto à præmonendis iuramento huiuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promouerint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pænam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi incurrant.

Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenùs in Ciuitatibus, & Diœceſibus proprijs præſentes noſtras literas publicari faciant, ac iuramentum prædictũ à Medicis iam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus Iuris remedijs exigant, neque aliquo, ad medendum in Ciuitatibus, & Diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit, eoſdem iuramentum huiuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & iurare, & iuramentum huiuſmodi iam præſtitum exhibere recuſantes, gradu Medicinæ, & omnibus priuilegijs eiſdem Medicis

tàm

Digitized by Google

tàm coniunctìm, quàm diuisìm, eis, & eorum cuilibet conceſſis per quoſuis etiam Romanos Pontifices priuent, & ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donèc reſipuerint.

Non obſtantibus præmiſſis priuilegijs, indultis, literis Apoſt. quibuſuis Perſonis, Collegio, & Vniuerſitati, ſub quibuſuis verborum formis, & tenoribus conceſſis, quæ omnia quoad effectum validitatis Conſtitutionis noſtræ tantùm reuocamus, caſſamus, & annullamus: & omnes Principes ſæculares, ac alios Dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilominùs iniungentes, quod in omnibus præmiſſis, eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum fauorem, & auxilium præſtent, ac contrafacientes, pœnis etiam temporalibus afficiant. Datum Romæ apud Sāctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die 8. Martij 1566. Pontificatus noſtri Anno primo.

Relictis pro nunc Conſtitutionibus Innocentij III. poſitis in Decret. Pœnit. & remiſſ. lib. 5. cap. 13. tit. 38., & Gregor. XIII., quæ incipit. *Alias piæ memoriæ, &c.*

Tùm ad præteritorum peccatorum pænam, tùm ad nouæ vitæ remedium, & infirmitatis medicinam, ſalutarem, & conuenientem ſatisfactionem Pœnitentibus Confeſſarij imponant; pro occultis verò peccatis, publicas pœnitentias non iniungant; ſed conuenientem ſatisfactionem imponere curent, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, ætatis, & diſpoſitionis Pœnitentium.

Sigillum Confeſſionis inuiolabilitèr obſeruent ſub exacto, perpetuoque ſilentio, illudque nec directè, nec indirectè frangant, alioquìn, vltra grauiſſimum crimen, pænas à Sacris Canonibus inflictas ſubibunt.

Caueāt propterea nedùm peccata grauiora à Pœniten-

tibus exponuntur, ſuſpirent, ſignent ſe ſigno Crucis, caput agitent, vel aliud admirationis, aut impatientiæ ſignum oſtendant; ſed patientèr audiant, & ſedutè quouſque Pœnitens omnia confeſſus fuerit.

Quod ſi aliquis etiam in horum minimo deliquerit, & ad Nos delatum fuerit audiendi Confeſſiones facultas indiſpenſabilitèr ei quicunque ille ſit, à Nobis auferetur.

Vt autem Peccatoribus pœnitendi, & confitendi frequentèr occaſio præbeatur, Parochos, & quoſcunq; alios, ſiuè ſæculares, ſiuè regulares Confeſſarios per Diuinæ Miſericordiæ viſcera rogamus, vt ſæpè ſæpiùs, & præcipuè tempore Quadrageſimæ, ac in alijs principalioribus ſolemnitatibus occaſione Indulgentiarum in quacunque Eccleſia publicè in Confeſſionalibus ad Confeſſiones audiendas promptos, & aſſiduos ſe exponant, vt Pœnitentes faciliùs Confeſſarios adire valeant, & fiduciam, & confidentiam confitendi habere poſſint.

De extrema Vnctione.
CAP. IX.

IN extremis conſtituto vitæ ſuæ, & Deo rationem de omnibus reddituro, auxilio ſummoperè opus eſt, vt in momento, à quo pendet Æternitas, vires ſpirituales roborentur, Fides augeatur, Spes non confundatur, & à Diuina Miſericordia deuotè, & qua par eſt contritione remiſſio petatur; Ad hæc obtinenda valet ſanctum Extremæ Vnctionis ſacramentum, quo Fidelis munitus Dæmones eijciantur, Sancti adiuuent, Angeli aſſiſtant, & Paſſionis Chriſti merita fragilitati, & ſenſuum delictis ſubueniant.

Curent ergò omninò Parochi, nè abſq; hoc Sacramento

to quiſquam infirmus è vita decedat, & moneant qua decet pia exhortatione, vt illud ſuſcipiat, dùm adhuc integra mens illi eſt, ratio viget, vt quoquè contritione gratiam tanti Sacramenti percipere cum deliberata voluntate poſſit, dum Sacro Oleo linitur.

Nullus Sacerdos, ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis, qui non ſit Parochus, audeat hoc Sacramentum miniſtrare, niſi in caſu neceſſitatis abſente Parocho, vel de eius licentia, & ſi quis contrafecerit, pæna Nobis arbitraria punietur; ſi verò Regularis erit ipſo facto excommunicationem incurret Summo Pontifici reſeruatam; licet ex priuilegio Regulares omnes in ſuis Eccleſijs Oleum hoc Sanctum tenere poſſint, ad Fratribus omnibus profeſſis, Nouitijs, Conuerſis, Oblatis, & ſæcularibus Seruis, Commenſalibus, atque Pauperibus totiès, quotiès opus fuerit, abſque alicuius pænę incurſu hoc Sacramentum adminiſtrandum.

Dùm periculum aliquod in mora eſſe nouerint vnà cum Viatico, infirmorum etiam Oleum deferant, illudque deuotè miniſtrent, iuxta Ritualis Romani formam; Factaq; vnctione bombix, quo abſterſæ fuerint partes inunctæ diligentèr reponatur, & ad Eccleſiam delatus comburatur; cinereſque in ſacrarium proijciantur.

Huius ſancti Olei vas argenteum, vel ex finiori ſtango rectè clauſum, & nitidum, burſaque ſerica incluſum eſſe præcipimus, & cuſtoditum in feneſtella ſerico ornata ad hunc ſolum vſum contexta propè altare maius à cornu Euangelij; ibique diligentèr cuſtodiatur, quæ apud Parochum, ſeu Cappellanum, aut Rectorem ſemper manebit, illudque omni, qua decet reuerentia cum ſuperpelliceo, ſtola, ac luminibus accēſis ſemper adminiſtrare teneatur.

Præcipimus omnibus Vicarijs foraneis, vt vel ipſi eant,

 vel

Digitized by Google

vel alios in ſacris Ordinibus, aut minoribus conſtitutos mittant, qui cum debita reuerentia Olea ſancta deferant, & cuſtodiant, ipſique cæteris ſuorum Vicariatuum Curatis diſtribuant.

In eadem infirmitate Sacramentum hoc non reiteretur; ſi tamen infirmus, qui periculum euaſit per aliquod tempus relabatur, in idem mortis periculum, inungi rurſus poterit.

De Matrimonio.
CAP. X.

MAtrimonium eſt legitima ſocietas inter virum, & fæminam, in qua ex pari conſenſu ſemetipſum alteri dicat. Docet Diuus Auguſtinus; & Sacramentum hoc magnum eſt. Diuus Paulus ad Epheſ. 5. in hæc verba loquitur: *Et ego Ioannes vidi ſanctam Ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Legitur Apoc. 21. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus erit immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus; & in coniugali vinculo ſi pudicitia non ſeruatur, damnatio non euaditur.* Auguſtinus quæſt. 27.

Vt autem hoc Sacramentum rectè, ritè, & abſque vlla fraude adminiſtretur, antequam Parochi ad exigendum conſenſum deueniant, interrogent qui, & quales ſint, qui Matrimonium contracturi ſunt, an ſint in legitima ætate videant per fidem Baptiſmi legalitèr confectam, nempè an vir decimum quartũ annum, mulier verò duodecimũ expleuerit, an ſciant rudimenta Fidei, vt ea filios naſcituros docere poſſint, & ſi fortè neſcire animaduerterint, diligentiam adhibeant, vt ea diſcant antequam Matrimoniũ contrahatur.

Mo-

Moneant contracturos Matrimonium, vt benè cogitent, num alij fidem dederint Matrimonium contrahendi, nùm votum fecerint caſtitatis, vel Religionis, nùm inter eos ſit aliquod genus cognationis, vel aliud canonicum impedimentum, quod Parochus clarè, & diſtinctè explicabit. Docebitq; vtrumque contrahentium, quod ſi in gradu prohibito ſcienter contrahent excommunicationem ipſo facto incurrent, & ſpe obtinendæ diſpenſationis priuabuntur.

Parochi non in domo, ſed in Eccleſia exquirant conſenſum à ſponſis, ſub pæna ſcutorum viginti quinque, niſi de noſtra licentia, illoſque non ſimùl, ſed ſeparatim interrogent, ad effectum, vt eorum quilibet liberè, & abſq; metu animi ſui votum exprimere valeat. Forenſium verò, & eorum, qui extra noſtram Diœceſim cômorati fuerint nulla admittantur ſponſalia, niſi de licentia noſtra, vel Vicarij noſtri generalis.

Quod ſi Parochus probabilitèr ſuſpicetur, an alicuius ex contrahentibus conſenſus liber ſit; Nos antè omnia admoneat, vt præſcribere poſſimus, quid ſit faciendum.

Pręcipuè verò Parocho debent eſſe nota impedimenta, quæ dirimentia appellantur, qui ſunt gradus conſanguinitatis, & affinitatis; qualitèr contrahatur cognatio ſpiritualis ex Baptiſmo, vel Confirmatione.

Caueant autem Parochi nedùm ſponſas præſentes interrogant de denunciationibus faciendis, vel coram ipſo ſponſalia contrahuntur, verba adhibeantur, quæ Matrimonium de præſenti inferant.

Si alter contrahentium ſit filius familias eum hortetur Parochus, vt ea in re conſentientibus Parentibus procedatur; qui ſi tandem conſenſui pręſtando renitentes fuerint à denunciationibus abſtineat, & interim Nos conſulat.

De-

Denunciationes neceſſariò publicè præcedentes tribus diſtinctis Feſtis de præcepto in Parochialibus omnibus, vbi ſponſi tàm de præſenti, quàm de præterito habitare conſueuerunt fieri volumus; Alijs verò diebus Feſtis ex deuotione, abſque noſtra licentia illas fieri vetamus.

Abuſum verò de nouo introductum eas bis in die publicandi omninò prohibemus; Quibus ſine noſtra licentia expreſſa omiſſis, ſi Parochi in totum, vel in parte diſpenſabunt, pænam triennalis ſuſpenſionis incurrent.

Denunciationibus autem factis, vel per Nos, ſeu Vicarium noſtrum generalem diſpenſatis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij procedatur, non tamen Parochus aſſiſtat ea ipſa die, qua facta fuerit vltima denunciatio, niſi de expreſſa noſtra licentia.

Matrimonium in Eccleſia celebretur, ſeruatis ritibus in Miſſali, & Rituali Romano præſcriptis, eique Parochus, ſeu alius de eius licentia aſſiſtat cum ſuperpelliceo, & ſtola, caueatque omninò, vt duo ſaltem teſtes, vnà cum ipſo interueniant, aliàs ob cauſatam Matrimonij nullitatem, grauiſſimè punietur.

Si ex permiſſione noſtra domi Matrimonium celebrandum fuerit, ſponſi nihilominùs ad Eccleſiam accedant, benedictionem accepturi, ſi eorum qualitas ita poſtulabit.

Caueant ſponſi, ne ante Matrimonium per verba de præſenti copulam inter ſe habeant; Propterea nec in domo eadem cohabitent, neque nimiam inter ſe conſuetudinem habeant, præſertìm remoti à propinquorũ conſpectu; peccata autem ſua triduò ſaltèm ante celebrationem Matrimonij confiteri teneantur, & ſacram Euchariſtiam ſumãt, vt Deus Matrimonio benedicat.

Mo-

Moneant Parochi Populum nuptiarũ ſolemnitates prohibitas eſſe à prima Dominica Aduentus vſque ad diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vſque ad Octauam Paſchatis incluſiuè, neque nuptias eo tempore benedicat, aliàs grauitèr punietur; denunciationes verò ijs temporibus fieri poſſe declaramus.

Si per duos menſes poſt factas publicationes Matrimonium differatur, tèr iterum publicetur, aliter abſque noſtra licentia illud celebrari prohibemus.

Nullus Parochus audeat Matrimonium inter raptorem, & raptam celebrare, etiamſi raptam è Parentum domo voluntariè diſceſſiſſe dicatur, donèc de huiuſmodi voluntate in Actis Cancellariæ noſtræ conſtare legitimè nouerimus, eique facultatem Matrimonio aſſiſtendi, prout Nobis iuſtitia dictauerit, concedemus.

Qui Parochum dolosè, aut per vim Matrimonio aſſiſtere curauerint, vel auxilium, opem, aut conſiliũ quoquomodo ad hoc ſcelus patrandum præbere auſi fuerint, ipſo facto excommunicationem Nobis reſeruatam incurrent, centumque aureorum pœna fabricæ Cathedralis Eccleſiæ noſtræ ante abſolutionem ſoluendorum puniri volumus.

Quotiès verò erunt teſtes examinandi ſuper ſtatu alicuius libero cauſa Matrimonij contrahendi omninò ſeruetur Inſtructio tranſmiſſa à Sacra Congregatione S. Officij, ſciantque Notarij, & alij Officiales, ſi in hoc defecerint, arbitrarijs pœnis fore plectendos.

Coniuges, ſe ad inuicem propria auctoritate quoad cohabitationem, & thorum non audeant ſeparare, ſub pęna arbitrio noſtro infligenda.

Cum autem Parochus alterum ab altero diſceſſiſſe nouerit, eos moneat, vt ad vitæ ſocietatem reuertantur, neque

que poſſe ſeparatos manere ſine labe peccati mortalis; quod ſi non paruerint, rem ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum generalem deferat, vt opportunum remediũ ſuggeramus, & qui in ſupradictorum aliquo deliquerit grauitèr tanquã in materia graui delinquens punietur.

Si quis verò Parochus, vel alius Sacerdos, ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis alterius Parochiæ ſponſos ſine ipſorum Parochi licentia expreſſa Matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tamdiù ſuſpenſus maneat, quamdiù à Nobis abſolutionem obtineat.

Parochi omnes librum habeant, in quo contrahentium nomina, & cognomina, pariterque teſtium cum die, menſe, anno, & loco contracti Matrimonij adnotentur; & inſuper quibus diebus factæ fuerint denunciationes, quæ ſi de licentia noſtra omiſſæ fuerint, de hoc etiam erit facienda mentio.

Parochus ipſe ſcribat, ſi Matrimonio adſtitit, vel etiam ſi facultatem alij dedit aſſiſtendi, & notabit hoc in caſu Matrimonium de ſui licentia à tali fuiſſe celebratum.

Si Parochus Coadiutorem habet, poterit Matrimonium deſcribi à Coadiutore, per Nos approbato, & qui adſtitit; Expedit tamen, vt in eodem libro notetur annus, menſis, & dies, quo Socius ad peragenda munera parochialia fuerit conceſſus.

De Veneratione Eccleſijs exhibenda.

CAP. XI.

Salu. lib. 5. de clam. cap. 4. NE denuò lacrymæ defluant à calamo Saluiani ſcribentis: Nos Eccleſijs Dei ludicra anteponimus. Nos altaria ſpernimus, & theatra honoramus, omnia colimus;

limus; ſolus in comparatione omnium Deus vilis eſt.

Et lamentationes Diui Ioannis Chryſoſtomi in Epiſt. 1. ad Chorinth. *Quid? Domos non habetis ad nugandum? Eccleſiam Dei contemnitis? ſi quis eſt, qui modeſtus, qui tacitus eſſe velit, corrumpitis? Nunc autem Eccleſia à foro nihil differt; & ſi non ſit temerarium dictu fortè adeò proſtitutis ſcortis petulantiùs, quo huc mulieres congregantur ſe ſe comunt, & ornant; ſi quis corrumpere Matronam conatur locum hunc maximè idoneũ putat; emere quid, aut mercari lubet, magis idonea eſt Eccleſia, quam forum; Sæpiùs enim de rebus hìc, quam in officinis loquuntur. Dicere mala, audire mala vis? etiam hìc frequentiùs, quàm foris; omnia denique hìc faciliùs, quàm extra.* D. Ioan. Chryſoſt. hom. 36. in epiſt. 1. ad Chorinth.

Conſtitutio B. Pij. V. conſideretur, & hanc obſeruari diſtrictè mandamus, ſcilicet vt ad Eccleſias ſit humilis, & deuotus ingreſſus, quieta conuerſatio, & omnes genuflexi ſanctiſſimam adorẽt Euchariſtiam, & ad nomen Ieſu Chriſti D. N. reuerentèr caput inclinent. Conſtit. B. Pij V. an. 1566.

Nullus in Eccleſia deambulare audeat, ſeu percurrat, dum ſacra Miſſarum Myſteria, & alia diuina Officia celebrantur, ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, ceſſent vana, fœda, & profana colloquia, riſus immoderati, & alia huiuſmodi, quæ diuina Officia perturbare poſſint, ſub pæna, vltra contentas in Conſtit. eiuſdem B. Pij. V., viginti quinque ſcutorum, ad pias cauſas applicandorum.

Mandantes propterea omnium, & quarumcunque Eccleſiarum noſtræ Diæceſis Rectoribus, Vicarijs, Sacriſtis, Oſtiarijs, alijſque earum cuſtodibus, vt prædicta fieri nõ ſinant, & delinquentes admoneant; Quod ſi non profecerint ad Nos deferant, ſub pæna duorum aureorum pro qualibet vice. Sub eadem etiam pæna non permittant,

vt pauperes, ſeu eleemoſinam petentes, quo tempore Miſſæ, & diuina Officia, & conciones peraguntur per Eccleſias diſcurrant, & quæritent, ſed ad earum valuas conſiſtere faciant, quod etiam à Regularibus obſeruari mandauit idem B. Pius V., ſub pęnis in eius Conſtitutione contentis. Concedimus tamen illis perſonis, quæ cum noſtra permiſſione pro Confraternitatibus, vel alijs Locis pijs eleemoſinas quærere aſſueſcunt, vt tempore dumtaxat, quo Sacerdotes in Miſſis priuatis manus abluunt, eas modeſtè petere valeant.

Nemini cum canibus, præcipuè venaticis in Eccleſijs ingredi liceat, neque haſtilia, ſclopos, ſiuè longos, ſiuè breues, aut alia quælibet arma inferat, exceptis gladijs, qui lateri alligantur, ſub pæna carceris, & armorum amiſſione, ſuper quo procedetur etiam ex officio, & per inquiſitionem.

Pauimentum ſit latericium, & planum, in eoque abſq; licentia noſtra in ſcriptis ſepulcra mortuorum nemini conſtruere liceat.

Ianuæ ſint fortes, & clauibus rectè munitæ, & feneſtræ ſpecularia vitrea, vel ſaltem linea ad breue tempus, donèc vitrea conficiantur, cum ſuis ramatis habeant.

In qualibet Eccleſia adſit vas aquæ benedictæ, quod ex marmore, vel ſimili lapide eſſe volumus, & dictam aquam ſingulis diebus Sabbathi purificato, priùs ipſo vaſe de nouo benedici præcipimus.

Parietes omnium Eccleſiarum extra Ciuitatem per Dięceſim, vt à prophanis Ædificijs diſtinguantur, & ſit aliquod ſignum diſtinctiuum ſupra ianuam, aut à tergo ipſarum, ſi ſupra ianuam commodè fieri non poſſit, apponatur imago Sanctiſſimæ Crucis, & S. Titularis, & decentèr pingantur.

Digitized by Google

Sacerdotibus omnibus inhibemus, ne celebrare audeant in Oratorijs priuatis, niſi Summi Pontificis, vel Sacræ Congregationis à Nobis recognitam, & approbatam licẽtiam habeant ibi celebrandi, vt ſupra diximus, ſeruatis, quæ de Oratorijs priuatis.

Eccleſiarum reparationes fiant ex prouentibus pro fabrica ſtatutis, ſi qui ſint; ſin autem quam primum reficiantur ad præſcriptum Concilij Trident. ſeſſ. 21. cap. 7. de reformation., vel iuxta caſuum contingentiam à Nobis fuerit demandatum. Cõc. Tri. ſeſſ. 21. cap. 7. de reform.

Vt contentiones, & diſſidia omnia, quæ quotidiè propter ſedilia oriuntur, tollantur, Rectores omnes, & Superiores quoſcunque tàm in Ciuitate, quàm extra intra quatuor menſes huius rei abuſum omninò extirpare, ſub arbitrarijs pænis mandamus; & curent, vt ſedilia omnia ità collocata exiſtant, vt nullus Proceſſionibus, vel altaribus aditus impediatur, non particulari forma conſtructa, ſed omnia ſint vniformia, modicumque ſpatium occupent. Nec permittant, vt noua in Eccleſijs ſedilia ponantur, nec vetera à Dominis vendantur abſque noſtra, aut Vicarij noſtri licentia, ſub pæna ſcutorum viginti quinque, & particularibus amiſſionis ius ponendi aliud.

Nemini liceat nouas Ecclelias, ſicut & altaria noua extruere abſq; noſtra licentia in ſcriptis obtinenda, ſine qua, vel Sacræ Congregationis cum noſtra aſſignatione, & approbatione paritèr in ſcriptis, Oratoria quæcunque tàm publica, quàm priuata fieri vllo modo prohibemus, ſub pæna centum aureorum, Locis pijs applicandorum, & ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendæ Sacerdotibus in eis celebrare ſcientèr præſumentibus, nec non ſub excommunicationis pæna ipſo fa-

ₓ&o paritèr incurrenda, præter alias arbitrarias in eiſdem celebrari facere audentibus.

Priuata Oratoria à triclinijs, tabernis, & alijs eiuſmodi, vbi rumores, iurgia, & litigia ſæpè excitantur ſint ſeparata, neque ità anguſta, vt à feneſtris audienda ſit Miſſa, quæ in eis, vt diximus, à Sede Apoſtolica diebus tantùm conceſſis celebretur.

Sacella campeſtria, in quibus Sacrum non fit, anteriori ſui parte ad viam publicam conſiſtant, vt iter facientes earum aſpectu ad pias precationes excitentur; ſint benè tecta, intus dealbata, nullum habeant altare, ſed Imaginem tantùm ſacram, vel in pariete depictam, vel tabulæ affixam, cancellis muniantur, & ità clauſa ſemper cuſtodiantur, vt iumenta, vel alia bruta in ea ingredi non poſſint.

In qualibet Eccleſia habeatur Sacriſtia decentèr extructa, cum armarijs, vbi recondantur paramenta, & vaſa ſacra; In ea aſſeruabitur ſculpta Chriſti Crucifixi Imago, cum tabella Orationum, quæ ante, & poſt Miſſam dici ſolent; Ibi quoque habebitur vas, & locus pro abluendis manibus cum linteo mundo ad abſtergendũ. Supellectilia ſacra habeantur pro modo cuiuslibet Eccleſiæ, nempè caſulæ, ſeu planetæ cum ſuis ſtolis, & manipulis omnium colorum, quibus Eccleſia vti ſolet, pluuiale, dalmaticæ, calices inaurati, quorum cuppa ſaltèm ſit ex argento interiùs inaurata; patenæ ex argento, vel ære inaurato, albæ, amictus, cingula, corporalia cum ſuis pallis ex tela tenui confecta, & amydo delinita, purificatoria, linteola, mappæ, mantilia, velamina, tapetem pro ſuppedaneo, thuribulum cum nauicula, ſuperpellicea, vrceoli, vas aquę benedictæ portatile cum aſperſorio, bireti, Miſſalia nouiſſimè reformata, Rituale Romanum, Antiphonarium

refor-

reformatum, & alia neceſſaria pro Miſſarum celebratione, Sacramentorum adminiſtratione, & quibuſcunque Eccleſiæ functionibus. Supellex lino contexta ſemper ſit nitida, & munda. Nullus omninò vtatur veſtibus ad Sacrum celebrandum, quæ priùs ab Epiſcopo benedictæ non fuerint, & ſi quæ vetuſtate conſumptæ fuerint, igne abſumātur, & cineres in Cæmeterio ponantur.

In Ædibus canonicalibus Cathedralis, & S. Andreæ mulieres ſuſpectæ non excipiantur, aut cōmorari permittantur, ludi, & commeſſationes non habeantur, & Domus canonicales ſæcularibus nullo modo locentur, ſub pæna arbitraria, ſine licentia noſtra.

Domus Parochiales à Parochis omninò habitentur, ſub pæna ſcutorum quinquaginta, & alia arbitraria pro modo contumaciæ, parochiali domui, & Eccleſiæ applicandorum.

Altaria cuiuſcunque Eccleſiæ ſint lapidea, vel ſaltèm latericia ſine vllo foramine, aut feneſtella, & ſi columnis ſuſtineantur, nihil ſubtus ponatur; Sint magnitudinis congruæ, & latitudinis honeſtæ. Si menſa altaris tota conſecrata non fuerit ara ſacra, ſeu lapis ſacer portatilis cerea tela cooperta aptè, & firmitèr in eius medio inſeratur vnciarum decem longitudinis, & octo latitudinis; ſit autem ità eleuata, vt à menſa diſcerni valeat cum ſigillo firmo, rectequè munito, quod ſi frangatur, aut dimoueri contigerit ſuper eam non ampliùs celebrandum eſſe mandamus.

Habeant ſingula altaria in pariete à latere epiſtolæ feneſtellam, vel menſulam ad vrceolos vini, & aquæ excipiendos, & ibi ſit clauum infixum, vt appendatur biretum Sacerdotis; In Eccleſijs autē Parochialibus altare maius, vbi aſſeruatur Sanctiſſima Euchariſtia honorifico baldachino tegatur. Vnum

Vnumquodque altare inſtructum, vel inſtruendum habeat Imaginem in ligno, aut lino depictam, quæ non niſi à Nobis in ſcriptis approbata, & benedicta apponatur; & ſi altare non ſit ſub fornice baldachino tegatur: Habeat duo ſaltèm candelabra ex oricalco, vel ligno deargentato cum Cruce in medio, & in ea non picto, ſed inſculpto Crucifixo: Habeat tres mappas mundas, quarum duæ menſam totam contegant, tertia ſuperior ad terram vſque à lateribus hinc inde extendatur: Habeat Conuiuij ſacri integram, decentemque tabellam, & aliam Euangelij S. Ioannis; pallium quantum pro facultatibus Eccleſiæ fieri poterit tempori conuenientis, telam, quæ contegat Imaginem, tres gradus computata bradella, ſeu ſuppedaneo benè complanatos, & lapideos, excepta bradella, ſub qua nullum ſit ſepulcrum, & ſi aliquod eſt auferatur, & deinceps non conſtruatur; tintinnabulum paruum ad dandum ſignum eleuationis; puluinar vnum pro Miſſali, & telã cærulei, vel viridis coloris, quæ mappas à puluere defendat poſt peractum Sacrificium.

Altaria nulla, vel aduerſa altari maiori, vel ianuis Eccleſiæ nimis propinqua, vel ſub organo non amplius erigantur, & ſi erecta ſint demoliantur.

Altaria, quæ ad Confraternitatum vſum reperiuntur earum prouentibus, vel eleemoſinis, dum opus eſt, reparentur. Particularia verò Laicorum, niſi dotem habeant pro fabrica, Patronorum expenſis reficienda eſſe ſtatuimus; Inhibentes propterea, ne inpoſterùm vlla, niſi dotentur, extruantur.

Sint etiam Eccleſijs proxima Cæmeteria muris, vel foſſis, ſeu alia clauſura circumſepta, & benè clauſa, ac in earum ingreſſu crates ferreæ, vel ligneæ, cum latitudine pari-

paritèr, & altitudine congruæ foſſæ apponantur, vt iumẽtis impediatur acceſſus; Et vt locum illum ſacrum eſſe omnibus pateſiat; Sit erecta in vnoquoque eorum in medio Crux ſuper aliquam columnam: vites, & arbores omnes frugiferæ, & non frugiferæ, ſi quæ in eis ſunt, excidantur, nec ſuccreſcere permittantur; arbuſta, vepreſquè omnes euellantur, vel ſalce continuè ſuccidantur, & ſciſſa comburantur, nec brutis vllo modo tradantur.

Si delictum aliquod in Eccleſia, Sacriſtia, vel Cæmeterio commiſſum fuerit, Rector illius Nos certiores faciat, vt ſi fortè (quod Deus auertat) aliquis necetur, vel vulneretur, non ſinat per Iudices, vel Actuarios criminales viſitari cadauera, perueſtigari vulnera, formari proceſſus, aut teſtes examinari; Quòd ſi Rectores id quandoque ex culpa permiſerint, decem ſcutorum pæna affici volumus; Si verò Iudicum Fiſcalium, aut ſimilium violentiæ reſiſtere nequeant, excommunicationis illis pæna intimata, ipſorum contumaciam, ſeu culpam ad Nos ſtatìm deferre teneantur.

Venerationi Populi Reliquiæ, quæ de nouo afferentur in Eccleſijs non exponantur, etiam à Regularibus, ſub pęna excommunicationis, niſi priùs recognitæ, & approbatæ à Nobis fuerint; antiquæ verò Reliquiæ in veneratione, in qua hactenùs fuerunt, habeantur.

Quæ approbatæ, & indubitatæ in vaſculis, aut argenteis, aut ligneis deauratis decentibus aſſeruantur non exponantur, niſi quatuor ſaltèm lumina in altari colluceant, eiſque vnus ſaltèm ex Clericis ſuperpelliceo indutus aſſiſtat; & ſi deoſculandæ porrigantur, id fiat à Sacerdote cũ ſuperpelliceo, & ſtola; non tamen ex vaſculis, aut capſulis extrahantur, vt tangi poſſint, nec de loco ad locum,

aut

aut ad ægrotos, abſque noſtra licentia deferantur.

In Eccleſijs, vbi fuerit Reliquia inſignis alicuius Sancti approbati, & in Martyrologio deſcripti, ex Decreto Sacr. Congregat. poterit celebrari Officium duplex, ſeruatis Rubricis Breuiarij Romani, ac Miſſa ſolemnis; Reliquia autem inſignis dicitur Corpus, Caput, Brachium, Crus, & ea pars, in qua fuit paſſus Martir, modò tamen ſit integra, & non parua.

8. Aprilis 1628.

Imagines Sanctorum de nouo depictæ, antequam fuerint benedictæ, in publicum colendæ Fidelibus nullatenùs exponantur.

Decreta Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. obſeruari mãdamus, nè hominum quorumcunque Imagines Sanctitatis, aut Martirij fama, vel opinione defunctorum; qui tamen neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti fuerint in Eccleſijs, etiam Regularium, Oratorijs, alijſque locis publicis, aut priuatis cum laureolis, aut radijs, ſeu ſplendoribus, nec quidquam aliud eorum venerationem, & cultum præſeferens, & indicans, præponantur, aut exponantur, ſub pænis in eis contentis, & ſi quæ appoſitæ fuerint, amoueantur.

13. Mar. 1625. 2. Octob. 1625. 5. Iulij 1634.

Sanctorum verò Imagines, vel tabulas vetuſtate, aut alia iniuria corroſas, ſi fieri poteſt, refici, aliter dealbari, vel indè tolli mandamus, quæ autem, vel antiquitate, vel aliter conſumptæ inueniuntur, ſiuè in terris, ſiuè in tabulis extent, non in prophanum vſum conuertantur, ſed igne conſumantur, cinereſque in loci ſacri foſſis collocentur; quod de quibuſcunque rebus Eccleſiaſticis omninò obſeruari volumus.

Si ad piam aliquam Imaginem Populi concurſus ſolito maior fiat, & miraculi alicuius, vel gratiarum fama diffunda-

da-

Digitized by Google

datur, Parochus, ſiuè Eccleſiæ Superior, etiam Regularis, Nos ſtatim certiores faciat, vt rei veritatem inquirentes ſtatuere poſſimus, quæ magis expedire videbuntur.

De Indulgentijs.
CAP. XII.

E Theſauro Eccleſiæ Summi Pontifices paupertati Fidelium diuitias, quibus nullæ pretioſiores clauibus ſupernæ, & traditæ poteſtatis extrahunt Indulgentiarum, vt autem earundem dignitas, & pretium ſeruetur.

Nullus cuiuſcunque Eccleſiæ Rector, aut Superior, ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis, nulluſque alius Confraternitatum Prior, aut alius quicumque quouis priuilegij prætextu promulgare audeat quaſcunq; Indulgentias Eccleſiæ, Loco, vel perſonæ conceſſas, niſi prius à Nobis, vel Vicario noſtro legitimè approbatæ, & recognitæ fuerint, iuxtà diſpoſitionem Sac. Concilij Trid., quæ ſi perpetuæ fuerint, etiam recognitionem, ac approbationem in duorum etiam de Capitulo præſentia habendam fore ſtatuimus. Et ſi approbatæ,& ſubſcriptæ tàm ad tempus, quàm perpetuò conceſſæ fuerint in libro ad id confecto in Cancellaria noſtra adnotabuntur cum die Datæ, & tempore durationis, & expreſſione Eccleſiæ, Oratorij, aut Cappellæ, cui conceſſæ fuerint.

(ſeſſ. 21. cap. 9., ſeſſ. 25. de Indul.)

Nullus publicare, & affigere poteſt per cedulas manuſcriptas Indulgentias, niſi fuerint à Nobis, vel Vicario noſtro generali recognitæ, & firmatæ, vel typis impreſſæ de noſtra licentia, ſub pænis arbitrio noſtro infligendis.

Parochi ante publicationem Indulgentiæ Fideles omni ſtudio hortabuntur, nè tanto ſubſidio carere velint, & ex-

Digitized by Google

ponent, quæ ex ipſarum Indulgentiarum literis ab vnoquoque præſtanda ſint, vt Indulgentiam conſequantur; nec admonere prætermittant, exiſtentibus tantùm in gratia, non verò mortali culpa alligatis, Indulgentias prodeſſe.

Non ad quæſtum Indulgentiæ exponantur, ſed potiùs doceant Parochi ad Indulgentiam conſequendam non eſſe neceſſariam eleemoſinæ largitionem, eamque concedi ad peccatorum remiſſionem, non ad quæſtum. Quapropter literæ Indulgentiarum, nec arculis eleemoſinarum ardentibus hinc indè luminibus appendantur; quando verò exponi capſulam ad eleemoſinas colligẽdas permittemus, tunc intùs in Eccleſia longè tamen ab altari collocetur; Eleemoſinæ verò huiuſmodi cauſa, vel alia occaſione collectæ, nè in alios vſus, & vtilitates, quam ipſarum Eccleſiarum expendi valeant, ſub pæna Eccleſiaſticis ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ; Laicis verò ſuppreſſionis Scholarum, priuationis habitus, ac alia Nobis arbitraria, niſi alitèr à Nobis ſtatutum, vel conceſſum eiſdem fuerit.

Sub eiſdem pænis omnes, & quicunque caueant, nè tranſacto tempore in prędatis literis præſcripto eaſdem exponere audeant. Et ſi earum confirmationem obtinuerint ſciant, noſtram quoque recognitionem, & approbationem ante publicationem neceſſariam eſſe, ſicuti, & neceſſariam declaramus noſtram, vel Vicarij noſtri generalis ſubſcriptionem exemplorum omnium Indulgentiarum quomodolibet publicandorum, ſub pæna quinque ſcutorum pauperibus applicandorum, vbi alitèr fuerit obſeruatum.

De

De Bonis Eccleſiaſticis.
CAP. XIII.

BOna Eccleſiæ à Deo ſumma miſericordia, & prouidentia donata, non ſolùm ad ipſius honorem, ſed ad augendam Fidelium deuotionem, & pauperum ſolatium à Miniſtris diligentèr ſunt pertractanda.

Vt autem cultus diuinus omni, qua decet diligentia exerceatur, cui Nos ſummoperè, & omni incumbere ſtudio debemus.

Inuentarium omnium bonorum mobilium, & immobilium, ac iurium omnium ſuæ quiſque Eccleſiæ, Cappellaniȩ, vel Beneficij, etiam iuris patronatus Rectorē, nec non Capitula omnia, tùm Eccleſiæ Cathedralis, tùm Collegiatarum, ſicuti, & Hoſpitalium, Montis Pietatis, aliorumque piorum Locorum Rectores infra ſex menſes ab huius Diæceſanæ Synodi promulgatione conficere teneri volumus; In quo ſingula etiam bona immobilia, & mobilia, iura, & actiones diſtinctìm, cum ſuis confinibus, quantitate, & qualitate terrarum; & coràm duobus ſaltem probatis viris deſcribantur; eiuſque exemplum Cancellario noſtro exhibeatur, ſub pæna negligentibus ſcutorum quindecim Locis pijs applicandorum.

Mentionem etiam faciant onerum Miſſarum, & Officiorum, & ſi quæ alia dictis bonis impoſita ſint; Indicabuntque inſtrumenta, & quibus appareat de titulo, dominio, aut iure Eccleſiarum, & Locorum prædictorum, cum expreſſione nominis Notarij, qui de ijs rogatus fuerit, anni, menſis, & diei.

Præfati omnes Rectores, ſub eadem pæna, habeant duos libros, in vno quorum deſcripta ſint inſtrumenta om-

nia ſpectantia ad ſuum beneficium, vel pium Locum; in altero verò nomina debitorum deſcribantur, vt in eo notentur ſolutiones omnes cenſuum, liuellorum, ac etiam legatorum omnium ſatisfactiones.

Mobilium autem bonorum duo repertoria fieri volumus, quorum alter in ſacriſtia, alter verò penès Eccleſiæ Rectorem, vel pij Loci Adminiſtratorem aſſeruetur.

Arbores virides, quæ in prædijs, aut bonis Eccleſiaſticis ſitæ ſunt, quaque ex cauſa ne cędantur, non ſolùm ſub pæna excommunicationis, quam incurrent à iure, ſed etiã decem ſcutorum pro qualibet earum, ac maiori arbitrio noſtro infligenda, ſeriò prohibemus; Si verò aliquis Beneficiatus aliquas eorũ neceſſitatem incidendi propter vſum ſuæ domus, vel coloniæ habuerit, ad Nos pro licentia in ſcriptis obtinenda, recurſum habere teneatur, quam, cognita neceſſitate, ſi ità expedire videbitur, concedemus; cum hoc tamen, quòd alias in locum ſublatarum reponant; Nàm meminerint cuiuslibet beneficij Rectores ad bona Eccleſiaſtica augenda, & non minuenda teneri.

Cõc. Tri. ſeſſ. 25. cap. 11. Nullus abſque conſenſu Apoſtolico, vel noſtro in caſibus à iure Nobis permiſſis, audeat alienare bona mobilia, vel immobilia Eccleſiæ quocunque titulo, etiam emphiteuſis; ſi alitèr non ſint ſolita concedi, nec eadem bona locare vltra triennium, ſub pæna excommunicationis, locationeſque anticipatis ſolutionibus factæ in præiudicium ſucceſſorum nullius valoris ſint, ſicuti etiam illa in emphiteuſim, vel ad liuellum conſanguineis Patronorum, aut Patronis dare prohibemus, ſub pæna nullitatis contractus, & ſuſpenſionis a diuinis.

Si res in emphiteuſim conceſſa ob caducitatem, vel deuolutionem ad Eccleſiam reuerſa, & Menſæ incorporata fue-

fuerit, nemini vlteriùs concedatur abſq; nouo Sedis Apoſtolicæ aſſenſu; Antequam verò Eccleſiæ, vel Menſæ incorporetur, illam non liceat in emphiteuſim ex gratia ſpeciali concedere ſine noſtra, aut Vicarij noſtri licentia in ſcriptis, ſub pæna nullitatis inueſtituræ, damnorumque,& intereſſe ergà Eccleſiam,& alijs Nobis arbitrarijs.

Iudices à Sede Apoſtolica delegati in cauſis alienationis bonorum Eccleſiaſticorum caueant, vt omnia in literis Pontificijs expreſſa verificentur, & earum comperta veritate, & vtilitate Eccleſiarum, vel piorum Locorum decretum interponant, & alienationem approbent.

Vſurpantes bona Eccleſiaſtica,ac iura,fructus,ſeu emolumenta, aut impedientes, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur ex Decreto Sac. Concil. Trid., anathemati ipſo iure tamdiù ſubiaceant, quamdiù vſurpata reſtituerint, atque à Summo Pontifice abſolutionem impetrauerint; Et ſi quis ipſorum Patronus Eccleſiæ fuerit eo ipſo, vltra prædictas pænas, iure patronatus priuatus exiſtat; Clericus verò, qui impiæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi conſentiens fuerit, eiſdem pænis ſubiaceat, nec non quibuſcunque beneficijs priuatus ſit, & ad quæcunq; alia inhabilis efficiatur. ſeſſ. 22. cap. 11.

Vt autem alij etiam quicunque bonorum,ſeu iurium Eccleſiaſticorum vſurpatores, à tàm graui ſcelere deterreantur inter Miſſam primi diei Quadrageſimę,& in Feſto S.Petri à Parochis, Decreta Sac. Conc. Trid. contra huiuſmodi vſurpatores quot annis vulgari lingua promulgari iubemus.

Meminerint propterea Rectores omnes, ſe vigore iuramenti tempore collationis in manibus Noſtris, vel Prædeceſſorum noſtrorum præſtiti, Eccleſiæ bona non ſolùm

alie-

alienare non poſſe, verùm etiam, ſi quæ alienata reperèrint pro viribus recuperare, teneri.

Cum Beneficiorum fructuum duo ſint genera, naturales nempè, & induſtriales, vt triticum, vinum, fænum, &c., & ciuiles, vt liuelli, cenſus, & ſimilia; Ideò ad tollendas omnes lites, quæ poſt mortem Beneficiatorum inter eorum hæredes, & ſucceſſores in Beneficio oriri ſolent, præcipiendo mandamus, fructus impoſterùm tàm naturales, & induſtriales maturatos, ac à ſolo ſeparatos ante Beneficiati obitum, quàm ciuiles ipſo viuente, paritèr maturatos, & non exactos, ad eiuſdem hæredes ſpectare, neque in hoc vllam eſſe litem mouendam volumus; Cæteros verò fructus poſt mortem tantùm maturatos, etiam ante Beneficij poſſeſſionem captam ſucceſſores in Beneficio lucrari declaramus. Quod ſi inter prædictos hæredes, & ſucceſſores alia emerſerit controuerſia, ſummariè à Vicario noſtro generali definiatur.

Defuncti hæredes fructos immaturos à ſolo non ſeparent, ligna ne cædant, nec damnum aliquod Eccleſiæ, vel ſucceſſori afferant, nec ſupellectiles tàm ſacras, quàm profanas, aut ſcripturas ad Eccleſiam ſpectantes amoueant, ſed eas omnes, etiamſi defunctus aliquid in eis comparandis erogauerit, exceptis profanis, extrà Vicario Foraneo, ſeu illius Viceſgerenti; in Vrbe verò Maſſario, vel Miniſtro per Nos deputando gratis conſignent, ſub pæna excõmunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ.

Economis cuiuſcunque Beneficij mercedem taxamus ad præſcriptum Conſtitutionis ſanctæ mem: D. Franciſci Gonzagæ Prædeceſſoris noſtri, quibus mandamus, vt Beneficij, cuius curam habent, fructus omnes pendentes penès ſe poni curent, ex ijſque onera eiuſdem Beneficij in

pri-

Digitized by Google

primis adimpleant, reddituri pro reliquatu rationem ſucceſſoribus, vel alijs, prout iuris erit.

De Hoſpitalibus, et Locis pijs.
CAP. XIIII.

D*Iſce Chriſtiane ſine diſcretione exhibere hoſpitalitatem, ne fortè, cui domum clauſeris, cui humanitatem negaueris ipſe ſit Deus;* ſcribebat Auguſtinus contra hæreſes; *obſecutus Loth Angelis tanquam Peregrinis, conſuetudine hoſpitalitatis liberatus à periculo Ciuitatis, & temporale euaſit incendium, & æternum conſecutus eſt præmium.* Si igitur eodem Doctore Eccleſiæ dicente, hoſpitalitatis officio ad Chriſti cognitionem venimus, & charitatis officia ergà infirmos, & pauperes tàm ſunt grata Deo; Vt nullum deſit in Hoſpitalibus, & Locis pijs rectè adminiſtrandi munus. D. Augu. côt. Her.

Piorum Locorum adminiſtratio viris probis, & prudentibus committatur, qui ſcribere, & rationes, ac computa tenere ſciant, nec admittantur, qui illorum Locorum debitores erunt; Nullo modo verò adminiſtrationi præficiãtur, niſi priùs fideiuſſionem idoneam, & iuramentum præſtiterint de fideliter, & diligentèr munere ſuo adimplendo.

Electionem autem Adminiſtratorum per vota ſecreta fieri, ſinguloque anno confirmari præcipimus. Et electi, iuxtà Sac. Concil. Trid. Decretum, vltra triennium nullatenùs perſeuerent, niſi alitèr in fundatione diſpoſitum reperiatur, vel ex iuſta cauſa Nobis alitèr viſum fuerit. Côc. Tri. ſeſſ. 25. cap. 8.

Sac. Conc. Trident. Decreto inhærentes iubemus, Adminiſtratoribus Hoſpitalis, Montis Pietatis, Confraternitatum, & quorumcunque piorum Locorum, vt ſingulis annis adminiſtrationis rationem Nobis, vel Perſonæ per Nos Côc. Tri. ſeſſ. 22. cap. 9. de ref.

depu-

Digitized by Google

deputandæ reddere teneātur, niſi secùs fortè in inſtitutione dictorum Locorum expreſsè cautum eſſet, ſub pæna priuationis officij, & alijs pro modo contumaciæ infligendis.

Si aliquis eorum pecuniā pij Loci abſque noſtra licentia mutuauerit, aut ſibi ipſi cōmodauerit, ab officio ſtatìm ſit priuatus, eumque per ſex annos à cuiuſcunque Loci pij adminiſtratione arceri volumus; Et qui huic mandato noſtro contrauenerit, excommunicationis ſententiam Nobis reſeruatæ, ipſo facto incurrat.

Adminiſtratores Hoſpitalium, vbi mares, vel fæminæ aluntur, iſtos in ſancto Dei timore, orationis ſtudio, Doctrinæ Chriſtianæ, & Sacramentorum frequentia, iuxtà eorum capacitatem educari procurent.

Caueant paritèr, nè mares cum fæminis verſentur, ſed ſeparentur, & præſertìm ne in cubiculis pernoctent, & à loco vnius ſexus ad alium acceſſus non detur.

Hoſpitalis maioris Statuta iampridèm ſanctiſſimo zelo confecta in omnibus (ſtipendijs exceptis) ſicuti, & cæterorum piorum locorum probatas leges obſeruari mandamus; certaſque regulas ad pietatem, & bonum regimen aptatas, vnuſquiſque Locus pius habere teneatur, quas Nobis, prout opportunum videbitur, & reformare, & augere, & approbare reſeruamus, eiſque tàm Præfectos, & Miniſtros, quàm pauperes ipſos ſubiectos eſſe volumus.

In Hoſpitali non recipiantur mares, vel fæminæ, niſi ſint adeò miſerabiles, vel morbo ità impeditæ, vt ſuis manibus victum nequaquam ſibi parare valeant, & domeſtici ſemper aduenis præferantur, ſicuti pueri, & puellæ in Hoſpitalibus pijs nullatenùs acceptentur, niſi decimum annum attigerint, & ſint miſerabiles abſque parentibus.

Adminiſtratoribus reddituum pauperum Ciuitatis manda-

da-

damus, vt in libro ad hoc confecto pauperes pudentes ab alijs miſerabilibus perſonis diſtinctè adnotent; quod tamē non fiat, niſi præuia diligenti informatione de eorum inopia à Parochis, alijſque pijs viris per Deputatos in vnaquaque Parochia habenda, ſicuti, & diſtributiones eleemoſinarum eiſdem faciendas notari ordinamus; volentes, vt qui malè diſtribuerint, reſtitutionis dupli, ac grauiori arbitrio noſtro pæna ſubijci valeant.

Omnes, & quicunque miſerabiles in præfato libro adſcripti teneantur quolibet, & ſingulo primo die Martis cuiuslibet menſis ad Cathedralem accedere, & ibi præuia ſacramentali Confeſſione, per manus Religioſi à Nobis deputati, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere.

De Confraternitatibus Laicorum.
CAP. XV.

VT Laici, qui Deo in aliqua particulari vnitatis, & deuotionis forma inſeruire volunt, vltra eorũ præſcripta, quorum obſeruationem enixè commendamus.

Nullus in Confraternitate aliqua admittatur, niſi ſit bonæ famæ, ac probatæ vitæ, & Doctrinam Chriſtianam ità calleat, vt alios etiam docere poſſit, non blaſphęmus, nō facinoroſus, aut publicus peccator, & qui aliqua iuris, vel facti infamia laboret.

Qui autem in illis adſcribi voluerit per ſola Confratrum vota ſecreta, quorum maiorem partem obtineat, eligi mandamus; Electis verò, & ſacram Communionem refectis, veſtis non detur, niſi præſente Parocho, vel saltèm Confraternitatis Cappellano, qui ſtatutis precibus veſtem ipſam benedicat, quam neque domi, neque alibi, quam

in Schola ipſa Confraternitatis aſſeruari, & ſi adſcriptus Confrater abeat, vel obeat non aſportari, ſed Confraternitati relinqui diſtrictè iubemus.

Confratres omnibus diebus Dominicis, & Feſtiuis, iuxtà ſuum inſtitutum, ad propria Oratoria conuenient, & Officium B.M.V. deuotè, & diſtinctè ſine cantu recitabunt; Manè quidem Matutinum cum Horis, à prandio Veſperas, & Completorium, quæ tamen Veſperæ, non niſi ante, vel poſt Veſperas Eccleſiæ Parochialis, & finita Doctrina Chriſtiana recitabuntur.

Sanctiſſimam Euchariſtiam poſt expiatas per ſacramentalem Confeſſionem criminum culpas ſingulo quoq; menſe, & in ſolemnioribus Feſtiuitatibus Confratres ſumere teneantur.

In Oratorijs non liceat etiam Confratribus Euchariſtiã miniſtrare à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè, neque in Natiuitate Domini, Aſcenſione, Pentecoſte, Aſſumptione B. M., & in Feſto omnium Sanctorum. Nullæ etiam Benedictiones fiant Candelarũ, Cinerum, Ramorum, Ouorum, ac frugum, ſub pœna ſuſpenſionis eo ipſo à diuinis quoad Sacerdotes benedicentes, & arbitraria quoad Confratres.

Quælibet Confraternitas ſuum Cappellanum habeat, quem non niſi à Nobis approbatum aſſumant, qui per Confratres, abſque legitima cauſa à Nobis approbanda, expelli minimè poſſit; Et cum Proceſſiones agent, eundẽ ſecum habeant cum ſuperpelliceo, & bireto, ſine tamẽ ſtola. Modeſte, & deuotè incedant cantantes litanias, pſalmos, & precationes ab Eccleſia inſtitutas. Non Crucem præferant, prout per Clericos præferri ſolet, ſed imaginem Crucifixi, & Sanctorum.

In

In præfatis Oratorijs ſanctiſſima Euchariſtia continuò non adſeruetur abſque ſummi Pontificis priuilegio, quod intra tres menſes Nobis exhiberi mandamus; Nec etiam ad tempus adoranda exponatur abſq; noſtra licentia, ſub pæna viginti quinque ſcutorum qualibet vice incurrenda.

Cuiuſcunque Confraternitatis Officiales nullatenùs eligantur, niſi per vota ſecreta, & cum aſſiſtentia Parochi, aut eius Subſtituti approbatione, eorumque electio pro confirmatione ad Nos ſtatìm ex præſcripto Sacræ Congregationis deferatur. Quam electionẽ nullo modo abſq; licentia noſtra prorogari volumus, aliàs acta quæcunque facta nulla omninò declaramus. Declarantes propterea Parochos, & Eccleſiarum Rectores in Officiales minimè eligi poſſe cum vice noſtra Confraternitatum negotijs aſſiſtere debeant. Electi verò Officiales nihil à Confratribus emolumenti recipiant; Nec Notarij, Maſſarij, alijque quicunque in deſcribendis ad ſortem puellis, ſeu in eleemoſinis illis præbendis, nec ſolidum quidem retinere, vel prętendere valeant, ſed hæc omnia gratis, & ſolo Dei amore, à quo mercedem ſperare debent, peragere teneantur.

Sac. Cõg. 27. Iulij 1594.

ead. 11. Auguſti 1617.

Bona Confraternitatum, earumque iura quæcunque à ſolis Maſſarijs, aut Notarijs, niſi de Prioris licentia, Rectoris, Conſiliarium conſenſu, gubernari, pertractari, aut de eis quoquomodo diſponi prohibemus. Nec ea locari poſſe earum Officialibus, aut Adminiſtratoribus, ſeu eorum conſanguineis, & affinibus, vſque ad ſecundum gradum, & ſi ſecus factum fuerit locatio, ſit ipſo iure nulla.

Eleemoſinæ, & oblationes, quæ ipſis Confraternitatibus fient, & pecuniæ quæcunque, etiam ex introitibus, & prouentibus redactæ in capſa tuto loco cuſtodiendæ deponantur tribus clauibus munita, quarum altera penès Pa-

rochum, altera penès Rectorem, & altera penès Maſſarium, ſeu Depoſitarium ſemper retineatur, nec vnquam, niſi vnoquoque concurrente, ac præſente aperiri valeat.

Quot annis Officiales, Nobis, ſeu Vicario nôſtro generali in Ciuitate, Parochis verò in Diæceſi, rationem ſuæ administrationis, iuxtà Sac. Concil. Trident. Decretum reddere teneantur.

Côc. Tri. ſeſſ. 11. cap. 9. de ref.

Omnes expenſæ in librum rationum ad Adminiſtratoribus diligentèr referantur, nec Maſſarius, aut alius Officialis quiſquis ſit, ſumptus nullos etiam minimos facere poſſit abſque mandato Prioris, & Parochi, vel etiam totius Congregationis, ſi ſumma ſit notabilis; quod & præcipuè, ſi de aliqua affrancatione, ſeu inueſtitura facienda agatur, obſeruari iubemus, ſub nullitatis cenſura.

Habeant librum, in quo legata omnia, cenſus quoſcunque, atque liuellos cum proprietatibus, & perſonis obligatis ſingulis annis deſcribi iubemus.

Oneribus Miſſarum, vel in propria Parochiali, aut in Eccleſijs intra eiuſdem Parochiæ fines à Nobis, vel à Prædeceſſoribus noſtris deſignatis (niſi alitèr teſtatores ſtatuerint) ſatisfaciant. Idque etiam in Anniuerſarijs, &, quæ in ſeptimo, vel trigeſimo die, Officijs fient, niſi ius ſepulturæ Confraternitatis habeant, obſeruetur, tunc verò niſi cum aſſiſtentia Parochi, & præminentía peragantur, cui etiam duplicata dabitur eleemoſina.

In Confraternitatum Eccleſijs, vel Oratorijs nemini ſepultura dari poſſit, niſi Nobis id eis licere conſtiterit. Vbi verò ius ſepulturæ Confratribus conceſſum extet, nullis alijs, neque Confratribus ipſis concedatur, niſi per ſex menſes ante obitum in Confraternitate adſcripti fuerint; ad quam etiam ibi eligendam quemquam tacitè, vel expreſ-

preſsè, etiam Confratrem inuitare, ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ prohibemus.

De Beneficijs Eccleſiaſticis.
CAP. XVI.

CVm Beneficia Eccleſiaſtica, vt ſpirituale donum cōcedantur bonitati, labori, ac ſcientiæ eorum, qui non de Beneficio, ſed magis de benè faciendo ad Dei honorem, & ſalutem animarum ſibi præcipuè commiſſarum curam gerere debent.

Nullus pro Beneficio obtinendo audeat quidquam alicui dare, vel promittere, aliàs pænis contra ſimoniacos latis punietur, quibus, & accipiens ſubiacebit, ſicuti & qui deteſtabile crimen confidentiæ commiſerit.

Beneficiorum Patroni quicunque habentes ius eligendi, ſeu præſentandi, ſeu nominandi per ſe, aut per alios, nihil à prouiſo accipiant, vel aliquid conſequi præſumant, neque in fructuum perceptione ſe ingerant, ſub pæna excommunicationis Summo Pontifici reſeruata, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ.

Illi quoque, qui Beneficia pro ſe, cum oblatione annuæ penſionis, vel pro alijs, cum ſpe penſionem annuam, aut aliud quodcunque temporale commodum, etiam modicum ab eis conſequendi, aut pro ſe ipſis principalitèr animo, & intentione ea in fauorem aliorum reſignandi obtinere procurauerint, ſciant ſe eiuſdem excommunicationis vinculo innodatos, ac omnibus Beneficijs, quæ poſſident, eo ipſo priuatos eſſe.

Qui per reſignationem, ceſſionem, vel alio quouis modo, præter quam propter obitum, Beneficium aliquod Ec-

cle-

cleſiaſticum cuiuſuis generis à Sede Apoſtolica obtinuerint, meminiſſe volumus Conſtitutionis Gregorij XIII., qua ſtatuitur, quod præfati intra ſex menſes à die datæ tàm in Cathedrali, quàm in Parochiali Eccleſia, intra quam dictum Beneficium extat, eius prouiſionis sìc obtentæ publicationem facere teneantur. Ita vt dum Populi ad Miſſarum ſolemnia concurſus adſit, palàm omnibus literæ Apoſtolicæ, earumuè tranſumptum authenticum exhibeantur, & clara, & intelligibili voce reſignatio, ceſſio, aut permutatio huiuſmodi, ac Beneficij qualitas, & mutatio, nominaque, & cognomina Reſignantis, ſeu Cedentis, vel Permutantis, ac illius, in cuius fauorem gratia huiuſmodi eſt facta, pronuncientur; ac de his omnibus exemplum valuis dictarum Eccleſiarum affixum relinquatur.

Greg. 13. in conſt. humano vix Iud. 81 §. 1.

Beneficiati omnes poſt adeptam Beneficij poſſeſſionem inuentarium bonorum eiuſdem Beneficij conficiant, & copiam vnam ad Cancellariam noſtram intra duos menſes tranſmittant, alteram verò penès ſe retineant, ſub pæna viginti quinque ſcutorum poſt elapſos duos menſes, Locis pijs applicandorum.

De Parochis.
CAP. XVII.

Rectores Parochialium Eccleſiarum, quibus Gregem ſuum Chriſtus commiſit, peruigiles eſſe, & in omnibus ſe ipſos præbere debent exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, deuotione, grauitate, & ſollicitudine, vt faciliùs, & feliciùs, Deo adiuuante, munus ſuum quiſq; exequi ritè poſſit. Quarè inhęrentes Sac. Concil. Trident. Decretis.

Cōc. Tri. ſeſſ. 23. cap. 1. de ref.

Om-

Omnibus, & ſingulis, quibus cura animarum incumbit, mandamus, vt in proprijs Eccleſijs reſideant, nec ab eis vltra tres dies abſint, abſq; noſtra licentia in ſcriptis concedenda, ſub pænis indictis à Sacris Canonibus eodem Conc. Trid., ac Apoſtolicis Conſtitutionibus, quæ à Nobis irremiſſibilitèr infligentur.

Obtenta autem licentia, Parochus nè à Parochia diſcedat, niſi priùs de idoneo, & à Nobis approbato Subſtituto prouiderit, qui tempore abſentiæ vices eius gerat in cura animarum, vel ſaltèm viciniori Parocho, ſi paucorum dierum abſentia erit, Eccleſiam ſuam commendare ſtudeat.

Vnuſquiſque Parochus, iuxtà Sac. Congregat. Decretum intra ſex menſium ab harum publicatione ſpatium, domum ſuam propè Parochialem Eccleſiam habeat, & ibi reſideat, ſub pæna quinquaginta ſcutorum, pijs Locis applicandorum; Et ſi domus Parochialis reparatione egeat, teneatur reparare, & quod ſupra de Eccleſijs dictum eſt, obſeruari mandamus.

Parochi omnes diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto in propria Eccleſia hora competenti, & opportuna Sacrum faciant, vt Populus illud audire poſſit; Quod ſi aliquando ad alterius Parochiæ Eccleſiam vocentur, in qua Sancti Titularis ſolèmnis dies, vel Celebritas alia agatur, ipſi prius, vel in propria Eccleſia celebrent, vel certè prouideant, ne Populi Miſſa, & alijs Officijs, & functionibus careant, ſub pæna viginti quinque ſcutorum, ſuæ cuiuſcunque Parochiæ applicandorum.

Præcipuum Parochorū eſt, & ad ſalutem Gregis magis neceſſarium, vt cohortationibus crebris Populum à peccatis, & eorum occaſione detereant, & ad virtutes capeſcen-

ſcendas, & ad Sacramenta frequenter ſuſcipienda inflam- ment. Ideò quilibet Parochus (dũmodò tunc temporis eo in loco concio publicè non habeatur) in Dominicis, & alijs Feſtis diebus inter Miſſę Sacrificium Populo Euangelium currentis diei exponat; Sæpè etiam, quæ pertinent ad rationem Sacramentorum doceat, vt de eorum neceſſitate, & præſtantia Fideles inſtructi ad ea dignè ſuſcipiẽda, ſe præparent; quæ per ſe ipsũ, & non per ſubſtitutos, niſi iuſtè impeditus, & gratis, ac abſque vlla mercede peragere teneatur, quod ſi quis mercedem aliquam pro alicuius Sacramenti adminiſtratione ſuſceperit, ſuſpenſione per trimeſtre, alijſque grauioribus pænis pro qualitate exceſſus puniemus.

Dominicis quoquè diebus, Feſta intrantis hebdomadę, Ieiunia, & Vigilias, quæ incident, nec non Proceſſiones, Stationes, Indulgentias, Orationes publicas, Officia, & Anniuerſaria Mortuorum occurrentia pronuntiabunt.

Et vt omnibus ea innoteſcant, ad quæ, ex Sacrorũ Conciliorum Decretis, vel ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus tenentur, Ædicta omnia in horum Decretorũ calce deſcripta ab ipſis Parochis, ſub pęna decem ſcutorũ, in præſcriptis diebus publicari, & declarari pręcipimus.

Volentes propterea, quod Parochi, vt ſuæ curæ commiſſis Ieiunia, & Feſtiuitates pareſiant, ſigno campanæ in præcedenti ſero eos admoneant hoc ordine, nempè pro Ieiunijs vnico tantùm ſigno vnius campanæ, ſi plures ſint, pro Feſtiuitatibus autem cum omnibus campanis plura ſigna, iuxtà Feſtiuitatis gradum pulſentur.

Quæ ſigna etiam dari volumus pro ſalutatione Angelica, ſummo mane, in meridie, & in ſero. Omnibus Parochis mandantes, vt Populum præfatum ſonum audientem

ean-

Digitized by Google

eandem ſalutationem recitare doceant, ac ſuadeant; rogamuſque omnes, etiam Regulares, vt vna ſimul in Ciuitate ſaltèm veſpertina prædicta ſalutationis ſigna dari procurent; Concedentes omnibus, & ſingulis tàm pulſantibus dicta ſigna, quàm eandem ſalutationem Angelicam recitantibus pro qualibet vice quadraginta dierum indulgentiam tàm pro viuis, quàm pro defunctis.

Signum quoque dari mandamus in eleuatione Corporis Chriſti in Miſſa maiori, ac dum illud infirmis eſt deferendum, nec non pro quocunque defuncto ſtatìm, ac ex hac vita migrauerit; hortantes Parochos, vt Populos doceant, ac toto affectu ſuadeant, vt tale ſignum pro defuncto audientes tèr Pater, & Aue in animæ illius ſuffragium dicere non dedignentur.

Quilibet Parochus quinque libros in folio habebit, ex firmiori charta confectos; in primo baptizatos, in ſecundo confirmatos, in tertio iunctos in Matrimonio, in quarto defunctos, & in quinto ſtatum, & numerum animarum, iuxtà formulas Ritualis Romani diligentèr, & diſtinctè deſcribit.

Et ne numeri dierum, menſium, & annorum in libris baptizatorum, confirmatorum, Matrimonio iunctorum, ac defunctorum, ita facilè vitiari poſſint, numeros prædictos non exprimat characteribus numeralibus, ſed extenſis literis recenſebit diem, menſem, & ànnum, quo quis natus ſacro Fonte ablutus, confirmatus, matrimonio iunctus, vel defunctus fuerit.

Singulis diebus quoque Sabbati aquam luſtralem Parochi benedicent, & aſperſiones, quæ in Eccleſia ſingulis diebus Dominicis fiunt, exequentur; aſperſionem quoq; domorum in hebdomada maiori, ipſi, vel per ſubſtitutos

K Sa-

Sacerdotes facient, cum hoc munus ad Parochos ſpectet, & omnibus alijs, etiam Regularibus ſit interdictum.

Per ſe ipſos etiam, & non per Curatum, niſi legitimè impediantur, Matrimonijs aſſiſtent, & nuptias benedicent, ſicut etiam cineres, candelas, & ramos oliuarum benedicent, & ſanctiſſimam deferent Euchariſtiam in Proceſſione tertia Dominica cuiuslibet menſis.

Præcipuam curam ægrotorum Parochi habeant, illos ſępè viſitando, eorumque neceſſitatibus ipſi, ſi poterunt, ſubuenient, vel ab alijs ſubueniri curabunt, & ſi morbus vrgeat ſanctiſſimis Sacramentis, nempè Pœnitentiæ ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis, eos roborabunt, & pro viribus morientibus cum omni charitate aſſiſtant.

Parocho ægrotanti, vicinior Parochus aſſiſtat, curamq; illius Parochiæ geret, Sacramenta eidem adminiſtret, & ſi moriatur, certiores Nos reddat, qua ſecuta, ſi Vicarius Foraneus non aderit, bonorum mobilium, & cuiuſuis ſupellectilis, nec non librorum, & ſcripturarum cuſtodiam habeat, & inuentarium conficiat.

Quæſtuarios, & quoſcunque circumeuntes Diœceſim ad quærendas eleemoſinas, in Eccleſia, aut in Parochia non admittant abſque noſtra licentia, vel Vicarij noſtri generalis in ſcriptis, quæ ſi ab eis non oſtendatur, cum receptarum eleemoſinarum amiſſione eijci volumus; Antequam autem à Nobis admiſſi quæſtuari incipiant, priùs Vicarium Foraneum illius regionis adeant, qui in eadem noſtra licentia teſtatum faciat, ſe dictam licentiã vidiſſe.

Parochi omnes ſingulo anno per totam hebdomadam poſt Dominicam in Albis, ſub grauibus pænis arbitrio noſtro infligendis, nomina eorum, qui Sacramenta Eccleſiæ

non

Digitized by Google

non ſumpſerunt Nobis, ſi in Vrbe, vel Vicario noſtro generali; ſi verò in Diæceſi Vicarijs Foraneis deferant, eaq; à Cancellario noſtro in libro ad hoc confecto diligentèr notari mandamus.

Si autem concubinarios, vel publicos peccatores, aut prauis opinionibus infectos in ſuis Parochijs adeſſe depræhenderint, ſtudeant eos paternis monitis, & obiurgationibus, etiam ad emendationem reducere, & ſi non reſcipuerint ad Nos deferre non omittant.

Benedictiones omnes, quæ in Miſſali, aut Rituali Romano minimè continentur, omninò prohibemus, ac prohibitas eſſe declaramus.

Cineres benedictos, candelas arundinis, incenſum, & ſimilia vſui Eccleſiaſtico deſtinata, laicis vilis conditionis tradi à Parochis, & quibuſcunque alijs, ſub duodecim librarum pæna interdicimus.

De diebus Feſtis obſeruandis.
CAP. XVIII.

D*Ies diem ſuperat, dies à Domini ſcientia ſeparati ſunt, & ex ipſis benedixit, & exaltauit, & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit.* Eccleſiaſt. cap. 33. Eccleſ. cap. 33.

Ne autem denuò Saluiani ſententia renouari valeat, ſi quando euenerit, vt eodem die, & Feſtiuitas Eccleſiæ, & ludi publici agantur. *Quæro ab omnium conſcientia, quis locus maiores Chriſtianorum copias habeat, ludi publici, an atrium Dei? quia ſolus Deus nobis in comparatione omnius vilis eſt.* Salu. lib. 6 de guber. Dei.

Dies Deo dicati, Sanctiſque conſecrati, ac Spiritus Sancti doctrina inſtituti ritè, & deuotè colantur, ſicuti etiam ſacra Tridentina Synodus, Canonum, & Summorũ Pon-

tificum Sanctiones, Pij V. Conſtitutio, & denique Imperiales Leges diſponunt; Idcircò ea, quæ infra ſequuntur, ſub pænis arbitrio noſtro infligendis omninò prohibemus.

Ne vllus diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto opus aliquod ſeruile exercere audeat, ſed eos omni veneratione obſeruet, & quilibet in præfatis diebus Eccleſias frequentet, diuinis Officijs deuotè intendat, & Sacrum attentè audiat.

Mercatus, qui ſingulis hebdomadis in aliquibus locis fieri ſolent in præfatis diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto, ne habeantur, ſed in antecedentem diem, vel ſubſequentem retrahantur.

Circulatores, hiſtriones, & id fallax hominum genus profanas cantiones, fabulaſque minus pudicas, & vana ſpectacula Populo ne edant, niſi à Nobis, aut Vicario noſtro generali licentiam in ſcriptis obtinuerint.

Merces omnes, & cuiuſcunque generis (cibarijs rebus exceptis) ſub earumdem amiſſionis pæna, iuxtà B. Pij V. Conſtitutionem à nullo vendantur, aut contractentur. Præfatis etiam diebus ſilere debent iudicia, actuſque omnes iudiciales tùm in foro noſtro Epiſcopali, tùm in Curijs ſæcularibus.

Coloni, bubulci, & agricolæ boues aratro, vel curribus ne iungant, terram ne fodiant, nec quid ruſtici, vel ſeruilis exequantur, aliàs tàm ipſos, quàm eos, qui vt ſupra opus ſeruile exercuerint, pænam decem ſcutorum luere volumus.

Tempore verò meſſis vindemiarum, & recollectionis fœni, quia ſæpè ob imminens periculum, ad Vicarium noſtrum generalem, vel Foraneum recurri non poteſt; Parochis omnibus auctoritatem tribuimus cōcedendi licentiam

tiam

Digitized by Google

tiam laborandi in meſſe, vindemijs, & recollectione prædicta Feſtis diebus, quæ licentia gratis concedatur, vel ſaltèm attenta communi neceſſitate frequenti Populo in Eccleſia, vel Cæmeterio publicetur.

Extra tamen hos caſus licentia laborandi in die Feſto in Ciuitate à Nobis, vel ad hoc ſpecialitèr à Nobis delegato; in Diæceſi verò à Vicario Foraneo petatur. Verùm quia Feſtorū obſeruantia cordi maximè eſſe debet ij omnes caueant, ne licentiam concedant, niſi rationabilis, & probabilis cauſa eorum arbitrio adducatur; neque niſi in ſcriptis illam concedant.

Vt autem dubia quæcunque ſuper tempore, quo incipere, & finire Feſta debeant, oriri ſolita, tollantur. Declaramus quodlibet Feſtum, ſicut & ieiunia à media nocte Feſtum ipſum præcedente incipiendum, atque in media ſequenti nocte terminandum eſſe; Idque à Parochis, & Confeſſarijs omnibus, etiam Regularibus docendum eſſe præcipimus, Populos inſtruentibus Feſtorum obſeruantiam principalitèr conſiſtere in Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio audiendo, & ab operibus ſeruilibus abſtinendo, ſub peccati mortalis præcepto, neque eis in dictis diebus incumbere licere ebrietatibus, ludis, crapulis, choreis, & ſimilibus, quæ cum ſemper ſint mala, eo tempore magis illicita redduntur.

Ædicta noſtra promulgata circa Feſtorum obſeruantiā apud ſe Parochi omnes habeant, quibus opportunis temporibus vti valeant, proùt ſe ſe occaſio obtulerit.

Dè

Digitized by Google

De Proceſsionibus.
CAP. XIX.

IN ſacris Proceſſionibus, vt oratio multorum ſit magis grata diuinæ Miſericordiæ debita pietate, & deuotione celebrentur, omniſque abuſus tollatur, infraſcripta decreta obſeruanda decernimus.

Omnes, qui ad publicas Proceſſiones intereſſe ſolent, aut debent, ſiuè Sæculares, ſiuè Regulares, ſiuè etiam laicorum Confraternitates, quo die facienda erit Proceſſio, hora à Nobis ſtatuta ad Eccleſiam Cathedralem conuenient; & qui ante inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis in Lytanijs non venerint, tanquam abſentes arbitrio noſtro punientur; ſicuti & qui poſt inchoatam Proceſſionem ſe iungere auſi fuerint, cum ex hoc ſæpè contingat non ſine graui Populi offenſione Proceſſiones perturbari.

Clerus ſæcularis in Proceſſionibus biretos, veſteſq; oblongas, mundo ſuperpelliceo habeat, nec vllus ex ipſo chirotecas, aut flores præ manibus habeat, ſed breuiarium, aut diurnum, & lytanias, aut pſalmos, hymnoſque ſupplicationi, quæ agitur, conuenientes, deuotè, & clara voce decantet, à colloquijs, & riſu abſtineat, & niſi tempore pluuiæ pileos, aut pallium ſuperpelliceo impoſitum geſtare audeat.

Laici Clericis nō ſe immiſceant, nec inter Confraternitates abſq; habitu Confratrum miſceantur; Fæminæ quoque non vno agmine cum illis, ſed ſeparatim ab illis incedant.

Proceſſionum tempore nulla abſque noſtra licentia ſpectacula fiant in locis, per quæ dirigetur Proceſſio, nullæque actiones in foribus ædium, aut in via repræſententur,

quam-

Digitized by Google

quãuis pietatem præſeferre videantur; multò magìs Imagines laſciuas ad ornatum exponi vetamus, ſub pœna amiſſionis earum.

Nullus à Proceſſione recedere audeat, donèc reuerſa fuerit ad eam Eccleſiam, vndè initium habuit, præſertìm ſi ſit Eccleſia Cathedralis, à qua quidem Proceſſiones generales Ciuitatis inchoari debent, & ad ipſam terminari, niſi alitèr Nobis viſum fuerit.

Non liceat Regularibus, aut Confraternitatibus laicorum, quarum Eccleſiæ clauſtrum habent, Proceſſiones facere, niſi intra clauſtra tantùm, & non extrà; Si verò Eccleſia clauſtro careat, fieri poterunt intra ambitum, ſeu propè muros Eccleſiæ, ſiuè exeundo ab vno oſtio Eccleſiæ, & intrando per aliud, ſiuè per idem, ſi ſit capax; extra ambitum verò non dirigatur, niſi de licentia, conſenſu, aut Cruce Parochi, dummodò non habeant alia priuilegia particularia, quæ ſi habere prætendant, infra tres menſes à die publicationis huius noſtræ Synodi oſtendere teneantur.

In ſolemnitate Corporis Chriſti Proceſſio ſolemnis fiat tùm in Ciuitate, tùm in Oppidis omnibus, Terris, ac Locis frequentioribus noſtræ Diæceſis, vnà cum delatione Sanctiſſimi Sacramenti, & vbi per Nos non deferatut, per Sacerdotem, qui cæteris honore, & dignitate præcellat, tale munus adimpleri iubemns; Vt autem magna cum religione, pietate, ac magnificentia ſolemnis Proceſſio fieri habeat, Dominica præcedenti, quæ dicitur Trinitatis ad confitendum, & communicandum Populum ſuadebunt.

Proceſſiones, quæ per Octauam Corporis Chriſti à Parochis Ciuitatis fiunt, manè tantùm dirigantur, niſi alitèr à Nobis ex cauſa conceſſum fuerit, & cum illæ fient, horta-

ta-

Digitized by Google

tamur omnes; vt pro reuerentia, & deuotione tanti Sacramenti claudant officinas, & ad Parochiam confluant.

Nullus ſiuè maſculus, ſiue fæmina tranſeuntem Proceſſionem ſpectaturus ſuperiorem ædium partem, aut feneſtras aſcendat; Si quis verò ità affecto corpore eo tempore fuerit, vt Sanctiſſimum cum alijs fidelibus comitari nequeat, ei permittimus, vt è portis, aut in via deuotè, ac reuerentèr exiſtat.

Vt autem in præfatis Proceſſionibus Corporis Chriſti pietas, ac religioſus cultus vbique appareat, in apparatu viarum, quem ab omnibus toto affectu pro cuiuſue viribus deſideramus, nihil profanum, nihil impudicum, nihilque quod prætereuntium oculos à pietate amouere poſſit in publicum exponi volumus.

Proceſſiones ſolitas à Parochis Ciuitatis fieri per vias in ſero ſingulis Octauæ Corporis Chriſti diebus, omninò iuſtis de cauſis prohibemus; Volentes, vt tantummodò per Eccleſiam, vel per eius ambitum eædem fieri impoſterum debeant; ſicut & quæ ſingulis menſibus eiuſdem Sanctiſſimi fiunt.

De Vicarijs Foraneis.
CAP. XX.

VT ea, quæ in Diæceſis noſtræ viſitatione ad cultum diuinum, & Eccleſiaſticam diſciplinã decreta ſunt, maiori ſtudio perficiantur, nec Nos eadem inſpicere, & exequi valeamus, diſcretorum virorum auxilium, & operam adhibendam cenſemus, qui vices noſtras in omnibus ſuppleant, quæ eis demandata fuerint.

Noſtris igitur Vicarijs Foraneis præcipimus, vt ſemèl in anno

anno Eccleſias ſuæ Vicariæ adſcriptas ea, qua decet fidelitate, & zelo, ac abſque aliquo comitatu, ſed per ſe ipſos tantùm diligentèr viſitare debeant, & viſitationes in ſcriptis redigant, eas ad Nos traſmittant, ſeu perſonalitèr deferant. Exactè autem obſeruabunt, an Parochi reſideāt, an debita charitatis officia infirmis præſtent, quales in adminiſtrandis Sacramentis ſe gerant, an diebus Feſtis pijs exhortationibus paſcant oues ſibi commiſſas, ac Doctrinam Chriſtianam pueros, & puellas docere ſatagant; An quæ in Viſitatione à Nobis decreta fuerunt, & præſentes Conſtitutiones Synodales, executioni mandentur; an legatis pijs, & Beneficiorum oneribus ſatisfaciant; an libros curæ diligentèr conſeruent, & ſcribant, iuxta Decreta noſtra; an adſint concubinarij, inconfeſſi, adulteri, aut alij non cohabitantes poſt Matrimonium cum vxoribus ſuis, vel eaſdem malè tractantes; & ſi aliquem circa præmiſſa deliquiſſe compererint; primò benignè moneant, & corrigant, & ſi non profecerint, Nobis, vel Vicario noſtro generali ſignificent. Curabunt quoque, vt Clerici habitum, & tonſuram clericalem gerant, arma ne deferant, Eccleſiæ ſeruiant, honeſtèque viuant, nec non rixas, & contentiones quaſcunque inter dictos Clericos componant, & pacem conſeruent.

Decedente aliquo ex ſuæ Vicariæ Parocho ſtatìm ad Eccleſiam vacantem ſe conferant, ibique bonorum mobilium ipſius Eccleſiæ, & Sacriſtiæ, cum teſtibus idoneis inuentarium conficiant, & illud ad Nos deferant, nec ab hæredibus quidquam, quod ex defuncti peculio non noſcatur, fraudari permittant.

Ad ſuſcipienda Olea Sancta Sacerdotem, vel Clericum in Sacris conſtitutum quot annis mittere, eaque cæteris

Digitized by Google

ſuæ Vicariæ Rectoribus diſtribuere teneantur, qui paritèr ad ea ſuſcipienda non laicum, ſed Clericum in Sacris ſaltem conſtitutum mittant.

Omnes, & ſinguli Vicarij Foranei, ſub pæna amiſſionis Vicariatus, & ſcutorum decem pro qualibet vice, ſemèl in menſe in vnaquaque noſtræ Diœceſis Vicaria Congregationem pro caſibus conſcientiæ pertractandis congregabunt; Mandantes, vt ad Eccleſiam, quæ per ipſum Vicariũ deputata fuerit, Parochi omnes, & Rectores, ac Cappellani, ſub triginta librarum pæna pro qualibet vice, ſicuti & cæteri Clerici ſub pæna duodecim librarum, ac maiori arbitraria, iuxtà eorum negligentiam accedere teneantur. Nec quiſquam, niſi cuius iuſtam impedimenti cauſam Vicarius approbauerit, excuſari valeat; ſicuti etiam volumus, quod ſi Vicarius ipſe impeditus extiterit, alium, qui vices ſuas gerat, ſub præfata pæna ſubſtituere habeat.

Congregationes per circuitum ab Eccleſia Vicarij Foranei incipiendo, non vnquam fiant, antequam verò Cõuentus incipiatur vnuſquiſq; pro defunctis in Eccleſia deputata celebrare teneatur, & ſemper Congregatio à ſtatuta prece cum inuocatione Spiritus Sancti incipiat, & in conſuetam pariter orationem deſinat.

In ſingulis Congregationibus Caſus conſcientiæ quindecim diebus ante à Vicarijs omnibus, cum die, loco, & hora Congregationis habendæ tranſmiſſus ex vniuſcuiuſque opinione diſcutiatur, & diſcuſſus cum reſolutione per Vicarium ipſum ad Nos deferatur, vel ſaltem ſub duorum ſcutorum pæna mittatur.

Habeatur etiam pro Clericis Minorum Ordinum lectio Catechiſmi, nec non Decreta aliqua noſtrarum Conſtitutio-

tionum per ordinem legantur. Præter prædicta proponantur difficultates, ac vniuſcuiuſque Parochiæ incommoda, quæ aliorum conſilium requirant. Nec non quæ ad animarum curam rectè gerendam pertinere noſcantur; Nec in opinionibus pertinacia, vel contentio ſit; Non colloquia vana, ſed omnia cum charitate, & pace fiant, nec quis, niſi interrogatus, vel ab eodem Vicario licentia obtenta reſpondeat, vel loquatur.

Omnes ſuis locis ſecundum gradus prærogatiuam ſedeant; in gradus autem paritate is, qui prior tempore gradum obtinuerit, præcedat.

Quæcunque acta, & reſoluta fuerint per ipſum Vicariũ in libro ad hoc confecto diligentèr perſcribantur.

Eorundem caſuum Congregatio in Ciuitate coràm Nobis, vel Vicario noſtro generali in Palatio Epiſcopali ſingulis menſibus habeatur; Ibique caſus rurales delati diſcutiantur, & reſoluantur. His intereſſe debebunt Canonicus Theologus noſtræ Cathedralis, & Canonicus Pœnitentiarius, atque omnes, & ſinguli Ciuitatis Parochi, atq; Clerici in Sacris conſtituti conuenire teneantur.

Vicarij prædicti, ſi delictum aliquod in ſua regione committatur, ad Forum noſtrum pertinens, ſumant illicò informationes, quæ ad Nos, vel Vicarium noſtrum generalem ſtatìm tranſmittantur; Ipſis etiam facultatem attribuimus, quod adueniente neceſſitatis caſu, vt ſi rixa aliqua oborta eſſet, & periculum aliquod immineret, præcepta pęnalia facere poſſint omnibus, qui noſtro Foro ſubſunt, & huiuſmodi præceptis omnes obedire teneantur perindè, ac ſi à Vicario noſtro generali facta fuiſſent.

Iuriſdictionem quoque eiſdem concedimus, vt in cauſis ciuilibus, quæ non excedant ſummam librarum triginta,

Digitized by Google

cognoſcant, & definiant, in quibus tamen cauſis procedent ſummariè, velo leuato, & ſola facti veritate inſpecta, quod ſi de maiori ſumma agatur, ad Nos, vel Vicarium noſtrum generalem cauſa remittatur.

De Prædicatione.
CAP. XXI.

MAximè debet Nobis fixum eſſe in corde, quod in noſtra Diæceſi verbo Dei Chriſti Fideles, & ad mala deteſtanda, & ad bona peragenda promoueantur, & ſummi Nobis eſt ſolatij, quod Prædicatores hoc munere fungantur; Ad euitanda autem, quæ in deſtinandis per eandem noſtram Diæceſim Concionatoribus euenire ſolent, Statuimus, vt inpoſterùm per totam Natiuitatis Domini diem anni præcedentis in annum ſequentem Concionatores à Communitatibus, ſeu Parochis, & alijs morem eligendi habentibus deputentur, alioquìn electionem ad Nos ſtatìm deuolui ordinamus.

Concionatores, qui nunquam in hac noſtra Curia Fidei profeſſionem emiſerunt, meminerint, antequam concionandi exercitium aggrediantur ad præſcriptum Bullę fel. recor. Pij IV., ſe teneri, eam in manibus noſtris, vel Vicarij noſtri generalis emittere.

Nullus Parochus in ſua Eccleſia, vel eius finibus permittat concionari Sacerdotem ſiuè ſæcularem, ſiuè regularem, niſi priùs ei exhibeat legitimam facultatem concionandi à Nobis conceſſam.

Concionatores omnes exequi curent ea, quæ de ipſis per Sacros Canones, Concilia, nec non Conſtitutiones Apoſtolicas iam decreta ſunt; Qui enim in alios paratus

eſt

Digitized by Google

eſt dicere, ipſum omni vitio carere oportet; ne ei peccatores arguenti illud obijci valeant: *Medice cura te ipſum*; & ideò ſemper præſertìm concionandi temporibus fugiant conuiuia ſæcularium, conuerſationes laicorum, confabulationes, laſciua, & ſcurrilia verba, & ea omnia, quæ etiã perſonis ſæcularibus vitanda proponuntur.

Priuſquam Concionator verbum Dei Populo nunciare incipiat, Parochum conueniat, & ab eo inquirat, quænam vitia in ſuo Populo ſint euellenda, quæ virtutes exhortandæ, ac pia opera inſtituenda, vt ſuo muneri vtiliùs ſatiſfacere poſſit.

Qui concionabuntur in Eccleſijs Monialium, nec ante, nec poſt concionem Moniales alloquantur, ſed ea abſoluta ſtatìm recedant.

Ne audeant inter concionem exaggerando verba proferre, quæ vel priuatorum iniuriam, vel quorumcunque offenſam tangere valeant, nec tendendo ſermonem ad priuatas perſonas, nec Prælatorum vitia ſigillatìm mordendo, ſed tantùm peccatorum in genere, vel etiam in ſpecie incurſum facilem, non autem in indiuiduo exaggerando, illorumque contemptum neceſſarium docendo.

Miracula, & Indulgentias nouas à Nobis non approbatas Populis euulgare caueant, cum ſit contra Sac. Conc. & Congreg. Decreta, quæ omninò ſeruari volumus. Cõc. Tri. ſeſſ. 21. c. vlt. de refor.

Meminerint quoque certas perſonas, aut opera, ſeu loca ſine licentia Vicarij noſtri generalis in Ciuitate, & Foranei in Diæceſi in eleemoſina commendare prohibitum eſſe; Idque Parochis ne vllo modo permittant mandamus. Sac. Cõg. Cõc. 1619. & Epiſc. 1619.

Caueant quoque eleemoſinas inter concionandum, nè ſuis, ſed pauperum vſibus petant, nec proprias facere audeant; Expleto etiam prædicationis tempore, cum in eo-

rum

rum ſubſidium quærenda ſit eleemoſina ipſi non petent; aut quærent, ſed Parochus cum duobus diſcretis viris hoc officium præſtabit, & Populum adhortabitur, vt liberalem conferat eleemoſinam.

Tranſacto tempore concionandi, quilibet Concionator coram Nobis ſe ſiſtet, Nobiſque referat, quæ pro ſalute illius Populi animaduerſione digna cenſebit.

Aliquando ſolet in dubium reuocari, cuius expenſis Cōcionatores in Quadrageſima munus ſuum obire debeant; id autem, vt omnibus inpoſterùm pateat, inhęrendo Decretis Sac. Conc. Trident., declaramus, mercedem, vel eleemoſinam ad Concionatoris ſuſtentationem ab ijs eſſe perſoluendam, qui hoc onus conſueuerunt annis præteritis ſuſtinere; Quod ſi Populus, & Vniuerſitas Prædicatoribus victum, & eleemoſinam conſuetam præſtare recuſauerint ſciant interdicti pœna, ſe à Nobis compelli poſſe.

De Legatis pijs.
CAP. XXII.

NE vltimæ fidelium voluntates, quæ in tanta veneratione haberi debent, infidelitatem, aut negligentiam patiantur, & ſummo Iudici vindictam implorent, decernimus, & ſtrictè mandamus, quæ charitati, pietati, ac iuſtitiæ conueniant.

Qui vltra biennium piorum legatorum executionem diſtulerint, nullo modo à quibuſcunque Confeſſarijs abſolui valeant, exceptis caſibus impoſſibilitatis. Quod etiam quoad annuas præſtationes, ſeu liuellos Monialibus debitos ſeruari omninò mandamus.

Vt autem pia legata faciliùs innoteſcant, Notarijs omnibus

nibus mandamus, qui de pio aliquo legato rogati fuerint, & ijs etiam, qui penès ſe defunctorum Notariorum originalia, aut protocolla habent, vt legatum quodcunque pium à defuncto relictum, niſi hactenùs denuntiatum fuerit infra tres menſes à die publicationis huius noſtræ Synodi, in Cancellaria noſtra denuntient; tradita etiam ſimplici copia cuiuſcumque legati, ſub pæna excommunicationis Nobis reſeruatæ.

Eidem pænæ ſubijci volumus Notarios illos, qui inpoſterùm teſtamenti, aut alterius diſpoſitionis rogitum conſcripſerint, & de huiuſmodi relictis legatis pijs, niſi intra tres menſes à die habitæ notitiæ de morte teſtatoris, eadē legata, vt ſupra, tradita etiam copia, Curiæ noſtræ non denuntiauerint.

Et nè ſuper hoc noſtro Decreto ignorantia aliqua à quouis prætendi valeat in quatuor anni temporibus à Parochis illud quot annis, ſub ſex librarum pæna promulgari præcipimus.

Legatum puellæ factum ad effectum nubendi, ſi ipſa Monialis facta fuerit, dicti legati ſolutioni locum eſſe ſtatuit Sac. Cóng. Conc. Sac. Cōg. Conc. 16. Aug. 1616.

Quando legatum pium relinquitur cum onere celebrandi peculiarem Miſſam de Sanctiſſimo Roſario, cum ipſa ſolis Sacerdotibus Dominicanis competat, ex eiuſdē Sac. Congreg. præſcripto Miſſa votiua B. V. de tempore celebranda erit. Sac. Cōg. artuum 31. Iulij 1632.

Dx Decreto Sac. Congreg. de celebratione Miſſarum, ratione legati nimìs tenuis eius reductio ſoli Sanctæ Sedi reſeruanda præcipitur.

Legata ad certos vſus pios relicta, in alium vſum ne conuertantur, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, vel noſtra, qua-

quatenùs id noſtræ ſit auctoritatis, ſtrictè mandamus.

De Exequijs, et Funeribus.
CAP. XXIII.

SIcut omnes ſtellæ, quæ ab Oriente veniunt, quamuis ſint magnæ celeritatis, & virtutis, tendunt tamen ad Occaſum, & ibi ſecundùm diuerſos circulos aliæ tardiùs, aliæ citiùs ſe ſe à noſtris aſpectibus abſcondunt; ſic etiam homines vniuerſi ab oriẽte, ideſt per natiuitatem intrant in Mundum, quamuis ibi quamdiù rutilent, & clareſcant, neceſſè eſt tamen, quod tandem ad occaſum mortis, alij tardiùs, alij citiùs ſecundùm curſum durationis, quam à Deo acceperint, venient, decidantque, & à Mundi aſpectibus ſe ſe ſubtrahant, & recedant: ſcribit Idiota vir ſanctiſſimus.

lib. de cõtẽpl. mort. §. 1.

Non recedat tamen à mortuis ſplendens viuentiũ charitas, & lumine vitæ priuatis lux pietatis non deſit, nec defunctorum cura, aut honor relinquatur. Quibus tamen hæc cautè præſcribuntur.

Mortuorum cadauera non in parietibus, aut alto loco, vel ſub altaribus, iuxtà Sac. Cong. mandatum, ſed in ſepulcris pauimenta non excedentibus ſepeliantur; nec inpoſterùm talia ſepulcra in altum ſita confici Superiores quicunque Eccleſiarum, & Oratoriorum permittant.

Sac. Cõg. Epiſc. 16. Septemb. 1597.

Vt nullus omninò de morte relinquatur dubitandi locus; nullum corpus ſepeliatur præſertìm ſi mors repentina fuerit, aut mulieris prægnantis, niſi poſt viginti quatuor horarum ſpatium, alij autem poſt duodecimam ab obitu horam, nec abſque noſtra licentia funus ducatur ante ortum Solis, vel poſt eius occaſum.

Sepultura Eccleſiaſtica omninò careant excommunicati

cati notorij, & denunciati, interdicti paritèr notorij denunciati, publici, & manifeſti vſurarij, niſi alienum reſtituerint, vel idoneam de reſtitutione cautionem dederint; Morientes in duello; ſe ipſos occidentes ex induſtria, peccatores notorij decedentes in notorio peccato mortali, nullo dato ſigno contritionis, & alij ſimiles, quibus iure ſepultura Eccleſiaſtica interdicitur; Ad illam admittere nullus ſiuè ſæcularis, ſiuè regularis audeat, ſub pæna excommunicationis; Si tamen præfati pœnitentiæ ſigna dederint, ſepulturæ ſacræ tradi poſſe Sac. Cong. decreuit; Sed hoc de noſtra tantùm expreſſa licentia fieri mandamus. Sac.Cōg. 17. Maij 1583. 19. Iulij 1619.

Infideles autem omnes, hæretici, & eorum fautores Eccleſiaſtica ſepultura omninò priuentur.

Quicunque ſepeliatur, vbi ſepulturam elegerit, & ſi filius familias, poſtquam ad annos pubertatis peruenerit; iam non elegerit, vbi maiores ſui ſepeliri conſueuerunt, vel ſi nullum maiorum eſſet ſepulcrum, in Parochiali Eccleſia ſepeliendus erit.

Alienigenæ, non electa ſepultura, humentur in Parochia, vbi commorabantur; Peregrini verò decedentes in Ciuitate ſepeliantur in Eccleſia Cathedrali, extrà Ciuitatem in Eccleſia Parochiali Loci, vbi deceſſerunt.

Sciant Parochi, & alij quicunq; etiam Regulares, quòd ſi quemquam induxerint ad eligendam ſibi ſepulturam in eorum Eccleſijs, vel electam mutare perſuaſerint, ſubijci excommunicationis pænæ latæ ſententiæ, & Summo Pōtifici reſeruatæ.

Pauperes, & miſerabiles perſonæ, quæ dietim victum ſibi lucrantur, quibus mortuis nihil, aut parum ſuperfuit, præter merè neceſſaria ad familiæ ſuſtentationem, vndè

ſepeliri poſſint, gratis à ſuis Parochis ſepeliantur, neque
Sac.Cōg. ſub pretextu eleemoſinæ, aut alterius lucri, iuxtà Sacr.
Epiſc. 5. Cong. præceptum vllo modo ſepultura retardetur.
Ma.1617.

Cum autem mortui deferendi ſunt, nullus ex Clero ſiuè ſæculari, ſiuè regulari leuare audeat de domo defunctum ad dandam ſepulturam in propria Eccleſia, etiamſi defun-
Sac.Cōg. ctus in ea proprium ſepulcrum habeat, & ibi ſepeliri de-
18. Aug. 1619. beat, niſi priùs vocato, & expectato proprio Parocho
21. Nou. 1631. defuncti, niſi alitèr ipſe conſentiat, aut venire expreſsè recuſet.

Quicunque de Clero ad mortuorū exequias celebrādas, & cadauera aſſocianda inuitatus fuerit talari veſte indutus, aç cum ſuperpelliceo, & bireto, niſi alitèr aeris, & temporis conditio expoſcat, accedere teneatur, ſub pæna Rectori, ſeu Parocho alitèr permittenti decē ſcutorum pijs operibus applicandorum, Parocho defuncti ſtolam etiam deferente.

Si quis verò in vna moriatur, & in altera ſit ſepeliendus Parochia, ambos Parochos ſtolam gerere, ac Officium ſimùl peragere volumus, & ſi extra ſuam Parochiam deceſſerit etiam tertium Parochum, in cuius ditione corpus leuatur cum ſtola admittendū eſſe ſtatuimus, medietatemque funeralium ad Eccleſiæ Parochum, vbi corpus eſt ſepeliendum pertinere, aliam verò medietatem inter proprium Parochum, & Parochum loci, vbi mortuus deceſſit diuidendam eſſe omninò decernimus, & idem ſeruandum eſſe declaramus, dum quis ruri moriatur, & in Ciuitate ſepeliri contingat, vel è contra.

Si quis verò ex DD. Canonicis, ſeu Manſionarijs, & Cappellanis noſtris in quacunque Parochia moriatur, & in Cathedrali noſtra ſepeliendus ſit, tota funeralia ad Cathe-

dra-

dralem, ſi verò extra ſepeliatur, medietatem tantummodò ad ipſam ſpectare decernimus, idemq; in Rectoribus, & Parochis aliarum Eccleſiarum reſpectiuè obſeruari volumus.

Quicunque ad funus vocabuntur, ſiuè ſæculares, ſiuè regulares, ſiuè etiam ſint Confraternitates, non per viam expectent, aut ad domum defuncti, ſed ad Parochialem Eccleſiam conueniant, & indè cum Parocho ad domum defuncti progrediantur ex Decreto Sac. Cong., & cadauer comitentur vſque ad Eccleſiam, vbi ſepeliendũ erit; Bini incedant, & a colloquijs abſtineant, pſallentes, & ſupplicantes pro anima defuncti, & indè ne diſcedant, niſi abſolutis exequijs, ſub pæna cuicumque ex iſtis librarum ſex. Cõg. rit. 9. Decẽb. 1617. Cõg. Epiſc. 26. Aug. 1615.

Si tamen Capitulum Cathedralis Eccleſiæ ad funus vocari contigerit, tunc quicunque alij vocati fuerint, etiam Regulares ad Cathedralem conuenire teneantur, vt indè ſimul ad domum defuncti eatur, & eundem locum, quem in proceſſionibus tenere ſolent, etiam in funere habeant, iuxtà Decretum Sac. Cong. Cõg. rit. 16. Feb. 1631.

Regulares, ad quorum Eccleſiam deferendum erit cadauer, nullatenùs ſe ingerant in Officio peragendo, neque domi, neque per viam; hoc enim Parochi munus eſt, ſed deducto funere in propria Eccleſia Officium circa cadauer, & reliqua exequentur; Parochus autem tunc à ſiniſtris Superioris Eccleſiæ, ad quam defunctus delatus fuerit ſtare debet, iuxtà Sac. Cong. Epiſc. præceptum. Sac. Cõg. Epiſcop. 2. Iulij 1651.

Parochi, & Religioſi quicunque ſuper eleemoſinæ quãtitate, ac Sacerdotum numero cum defuncti hæredibus pactum inire non audeant, id enim libertati hæredũ Sac. Cong. his verbis relinquendum eſſe ſtatuit.

Digitized by Google

4. Ianua. 1640. *Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ſtatuit. Defunctorum hæredes pro defuncto ad ſepulturam aſſociando, numerum Sacerdotum ſibi benè viſum conuocare debent, & numerum ceræ ſibi viſum ad cadauer ſepulturæ aſſociandum, quolibet contrario prætextu per Parochum, deducto non obſtante, ſubminiſtrare valent.*

Et inſupèr.

Sacra Rituum Congregatio, iuxtà aliàs reſoluta reſpondit, electionem, & numerum Religioſorum aſſociandis cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectare, & pertinere, & ità vbique ſeruari debere declaraait.

Excludendus propterea nequaquam eſt Parochus, cum eius Cruce, quin eidem quantitas eleemoſinæ, quæ ſaltē alijs datur, vel quæ per Nos ſtatuta fuerit, tribui debeat.

Si autem hæredes, quos Sacerdotes velint, non eligāt, tunc ad Parochum quos maluerit ad funus vocare ſpectabit; habita ratione eorum, qui magìs ſuæ Eccleſiæ inſeruierint.

Sub pæna viginti quinque ſcutorum pro qualibet vice, pijs Locis applicandorum irremiſſibilitèr, ac alijs grauioribus pænis arbitrio noſtro infligendis, mandamus, ne quis pro funeris, & exequiarum mercede aliquod pignus etiam minimum petere, vel capere præſumat, ſed facultati vniuſcuiuſque ſtare teneatur, quod ſi quemquam in his nimis cupidum, & importunum in pauperes præcipuè, & pauperculas viduas depræhenderimus, aut Nobis delatum fuerit, vltra dictam pænam viginti quinque ſcutorum, grauitèr ipſum arbitrio noſtro puniemus.

Strictè mandamus, ne quis Parochus præter Clericos, Crucem, librum, & aſperſorium deferentes, niſi alitèr hæredes defuncti decreuerint, alios Sacerdotes, vel Religioſos

ſos ad funus leuãdum ſecum aſſumere proprio marte præſumat; ſed in euentu quocunque ſemper hæredum voluntatem, ac libitum requirere, neminem grauando, teneatur; alioquin grauitèr à Nobis punietur.

Si in deferendis mortuis tranſire per plures Parochias aliquandò contingat, quidquam ratione tranſitus à quouis Parocho prætendi poſſe, neque eiuſdem tranſitus Parochos ob eandem cauſam vocari debere volumus, ſed hæredum voluntati, ac libito, iuxtà præfata decreta ſtandum omninò eſſe declaramus; cum in ſepeliendis Chriſti fidelibus pietati, & charitati ſolùm ſit reſpiciendum.

Quacunque ex cauſa cadauera nullatenùs exhumentur, nec viſitentur, niſi ex licentia noſtra in ſcriptis, vel Vicarij noſtri, ſub pæna viginti quinque ſcutorum, nec pro quocunq; debito à creditoribus ſequeſtrentur, ſub pæna amiſſionis crediti.

Ad tollendam omnem litem, quæ occaſione funeris inter Parochum, & hæredes defuncti oriri ſolet, hac noſtra Conſtitutione inuiolabilitèr obſeruanda decernimus, vt inpoſterum maiorem Parochi eleemoſinam cerę librarum quatuor cum dimidia ab hæredibus defuncti exigere nequeant, nempè faculam vnius libræ pro ipſo Parocho, candelas decem vnciarum trium pro Cruce, libro, aſperſorio, ac ſacriſtia, & faculas duas ſaltèm mediæ libræ accendendas pro aſſociandis cadaueribus; Parochus verò Cathedralis vltra prædictas candelas decem, Clericis Crucem, librum, & aſperſorium deferentibus dandas, duas eiuſdem ponderis pro ſacriſtia accipere liceat.

Si autem defunctus ſeptimum ſuæ ætatis annum non excelſerit, loco decem candelarum, ſolùm ſex petere poſſint. Hæredes vero ſi maiorem ſuprafcripta, impen-

ſam

Digitized by Google

ſam facere voluerint, eorum voluntati ſtandum erit, adeò tamen, vt Parochus obeuntis melioris conditionis ſit cæterorum Sacerdotum, ſiuè ſæcularium, ſiuè regularium, & eorum Superiorum ad funus accedentium, ita vt faculam duplicati ponderis habeat in eorum concurſu.

Si quis in propria decedens in alia Parochiali Eccleſia quocunque colore, ſeu prætextu, etiam quod in ea ſepulcrum habeat, ſeu ſepeliri eligat, tumulandus veniat, vtriq; Parocho eadem quantitas ceræ debetur; intorticia verò ad cadauer ducendum accenſa, inter ſe pro medietate diuidant.

Sicuti etiam diuidi volumus pro eadem medietate eandem ceram inter proprium Parochum, & Parochum illius Eccleſiæ, in cuius diſtrictu, quem apud parentes, vel amicos mori contigerit, eademque facula debeatur.

Cõg.Epiſ. 9.Iunij 1592. Cum ex præſcripto Sac. Cong. Epiſc. vagi, & quæ in nulla Parochia domicilium obtinent, in Cathedrali Eccleſia ſepeliri debeant; Parochus eiuſdem Cathedralis cadauera illorum à quacunq; Parochia leuare, & ad Cathedralem ducere valeat; Quod ſi eiſdem Sacramenta adminiſtrari contingat per Parochum, vbi infirmati fuerint, nomine Cathedralis ea adminiſtrare liceat, & eo caſu medietatem ceræ inter vtrumque diuidendam eſſe volumus.

Defunctorum hæredes occaſione funerum tàm in Ciuitate, quàm extra in altaribus candelas accenſas apponere non teneantur, ſi verò ex Chriſtiana, & laudabili pietate illas accendere in eiſdem elegerint, cum Parochi ad eas accendendas hæredes cogere minimè poſſint, ab eiſdem Parochis ceram, aut candelas non accipiant, ſed illas pro cuiuſcunque libitu, & ponderis, & numeri alibi emant; quæ tamen ſuperfuerint fragmenta, penès ipſos Parochos

ad

Digitized by Google

ad vſum Eccleſiæ, & ad pauperes ſepeliendos relinquenda eſſe ſtatuimus.

In funeribus ruralibus, ſi hæredes ſuper cadaueribus in Eccleſia exiſtentibus, defunctorum Nocturnum cum Laudibus cantari mandauerint, præter eleemoſinam tribui ſolitam ſolidos duodecim pro quolibet Sacerdote, ſex pro quolibet Clerico, & viginti quatuor pro Parocho tribuere teneantur.

Confraternitatum pallijs duodecim candelæ vnciarum trium in totum tantūmodò tribuantur, & earum Cappellanus cæteris Sacerdotibus æquiparabitur.

Veſpilionibus, ſicut & Societatū Capitibus tàm ab hæredibus, quàm à Religioſis quibuſcunque nihil ceræ diſtribuendum eſſe ſtatuimus, ſed ſi quid illis aliqua ratione, vel colore debeatur, totum in pecunia tribuendum eſſe volumus. Qui Veſpiliones non audeant quidquàm à defunctorum cadaueribus auferre, ſiuè anulos, ſiuè chirothecas, ſiuè calceos, ſiuè quid aliud, ſub pæna carceris.

Cum proprium ſit Parochorum funera mortuorū, iuxtà hæredum voluntatem, ac libitum dirigere, eiſdem Parochis præcipimus, ſub pæna duodecim librarum irremiſſibilitèr exequenda, nè huiuſmodi functiones à Societatum Capitibus, vel ſimilibus quibuſcunque dirigi vllo modo permittant, ſed ipſi Parochi teneantur notam ceræ, & expenſarum conficere, & eam eis tradere, vt hæredes moneant pro ceræ prouiſione.

Pro pannis mortuorum cadaueribus ſupponendis, ſi lanei ſint triginta ſolidos, ſi ſerici ſexaginta, ſi verò excellentiores ſint, libras ſex cōmodantibus per hæredes ſoluantur; quæ quidem oblationes, vel dimidiandæ erunt inter Parochos, & Societates, ſi inſimùl pannos confecerunt,

vel

Digitized by Google

vel totæ ſoli conficienti tribuantur.

Veſpilionibus pro foueis fodiendis, in Diæceſi duæ, in Ciuitate quatuor libræ; Pro ſepulturis verò aperiendis tres libræ, eorumque ſocijs, ſi adhibeant, viginti ſolidi debeantur.

Et quia quilibet Operarius eſt ſua mercede dignus, & iuxtà operis conditionem habenda eſt compenſatio, ſtatuimus, vt, qui mortuorum Officio, præter Miſſæ celebrationem, interfuerint, in Ciuitate quinquaginta ſolidos, in Villis verò, & cæteris quibuſcunque locis forenſibus ſexaginta ſolidos ſibi acquirere valeant in totum, Parochis verò ſex libræ debeantur; In quolibet mortuorum Officio quatuor candelę vnius libræ apponantur lecticę funerali, altari maiori quatuor trium vnciarum, & alijs altaribus pro Miſſis celebrandis duæ, trium pariter vnciarum; prædictorumque, Officiorum ceram omnem, quæ reliqua fuerit, ſi cum hærede agatur, eiuſdem Eccleſiæ beneficio relinquendam Parocho, ſi verò cum Confraternitatibus, eiſdem reſtituendam eſſe declaramus; Vt autem, quæ huc uſquè de funeribus ſtatuimus, faciliùs etiam laicis innoteſcant, nec vnquam eorum ignorantia aliquis excuſari poſſit, ædicta ſeorſim imprimentur, quæ ſemper in Sacriſtia affixa teneri iubemus.

Quartam funeralem Parocho obeuntis, ex præſcripto Sac. Conc. Trid. debitam duodecim librarum, iuxtà conſuetudinem immemorabilem, eſſe iubemus.

Quilibet de Clero noſtro Sacerdos vnam Miſſam pro anima cuiuſuis Sacerdotis alicui huius noſtræ Diæceſis Eccleſiæ ſeruientis; duas verò pro Cathedralis noſtræ Dignitatibus, & Canonicis celebrare teneatur. Clerici autem non Sacerdotes integrum Officium defunctorum recita-

citabunt, volumuſque, vt Parochus defuncti, vel Vicarius foraneus, ſi defunctus ſit Parochus, ſtatim Cancellarium noſtrum certiorem faciat, qui confeſtim per literas Vicarios omnes foraneos monere teneatur.

De Monialibus.
CAP. XXIIII.

NUnc à Nobis ad Virgines Deo dicatas ſermo eſt, quarum quo ſublimior eſt gloria, maior debet eſſe cura. Flos enim eſt ille eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, illuſtrior portio gregis Chriſti; benè Angelus ad Virginem mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata Virginitas. Eſſe enim Angelum felicitatis eſt, eſſe verò Virginem virtutis; dum hoc obtinere nititur, & profitetur cum gratia, quod habet Angelus ex natura; vtrumque tamen, & eſſe Virginem, & Angelum diuini muneris eſt officium, non humanum, & orationi ex laudibus diuinis pro munere incumbunt; Legimus enim in Apocalypſi. Nemo poterat dicere canticum, niſi illa quadraginta quatuor millia; Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocunque ierit. Apoc. 14.

Ne ergò à rerum Diuinarum contemplatione, chori frequentia, & alijs regularibus perfectionibus amoueantur, & in propriæ Religionis obſeruantia remaneant, iuxta Sacros Canones, & Pontificias Conſtitutiones hæc, qua maiori poſſumus diligentia, & zelo præſcribimus, & mandamus.

Nullus Eccleſiaſticus cuiuſcunque gradus ſit ſub quouis prætextu audeat accedere ad collocutoria, crates, rotas, aliaque loca Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ſeu quidquam agendum, aut pertra-

Digitized by Google

ctandum cum Moniali aliqua, vel quacunque alia perſona intra clauſuram degente, ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ, niſi prius à Nobis, vel Vicario noſtro generali, aut alio ad id à Nobis deputato licentiam in ſcriptis obtinuerit.

Cóg.reg. 7. Maij 1590. Regulares ad Monaſteria quæcunque Monialium, ſiuè ſui, ſiuè alterius cuiuſuis Ordinis accedere ad colloquendum, ſeu tractandum cum quauis Moniali quocunq; modo, vel gradu etiã coniuncta audeant, niſi à Nobis obtenta licentia ſub forma, & conditionibus à Sac. Congreg. annuente Vrbano VIII. æditis, alitèr pænas ſibi inflictas incurrent, vltra quas ſeueriſſimè à Nobis punientur.

Cóg.cóc. 15. Ianu. 1634. Cóg. Ep. 12 Nouéb. 1623. Sæculares verò omnes virilis ſexus cuiuſcunque ſtatus, gradus, ac conditionis ſint, cum Monialibus alloqui non poſſint, ſub pæna excommunicationis, carceris, alijſque arbitrarijs, niſi habita à Nobis licentia in ſcripis; qua etiã obtenta, ſi ad malum finem acceſſerint ad colloquendũ, pænam excommunicationis latæ ſententiæ incurrant.

Conſanguineis tamen, & affinibus in primo, & ſecundo gradu acceſſum, & allocutionem cum Monialibus coniunctis permittimus, exceptis diebus prohibitis, Aduentus nempè, & Quadrageſimæ.

Nemò, ſiuè maſculus, ſiuè fæmina cuiuſcunque conditionis, & qualitatis exiſtat, ſub pæna excommunicationis, cum Monialibus, vel puellis in Monaſterio degentibus ad oſtium, per quod ad Monaſterij ſepta aditus patet, ſermonem habere audeat, ſed obtenta licentia cum illis tantùm in collocutionum locis, quæ parlatoria nuncupantur, alloqui valeant; Ianuam autem cuiuſcunque Monaſterij, ſiuè ad colloquendum, ſiuè ad introducendum, quod per rotas recipi poteſt, neque ante ortum, vel poſt Solis occa-

ſum,

Digitized by Google

caſum, niſi neceſſitate vrgente, pro Medicis, & ſimilibus aperire minimè liceat.

Sub eadem excommunicationis pœna cuicunque, ſiuè mari, ſiuè fœminæ Monialium Monaſteria, ad tàm ipſas Moniales, quàm quaſcunque ſæculares puellas, quæ ibi educantur cantum, vel alicuius inſtrumenti ſonum edocendum, abſque noſtra licentia adire prohibemus.

Monialibus omnibus earumque Prioriſſis, & Abbatiſſis canes, equos, boues, vel iumenta quæcunque, tàm ad longum, quàm ad breue tempus intra ſepta Monaſterij alere, vel retinere omninò interdictum eſſe volumus.

Sacerdotibus quibuſcunque, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis interdicimus, ne ad celebrãdum ad Monialium Eccleſias abſque noſtra in ſcriptis licentia accedere audeãt, & peracta celebratione, niſi aliam ad colloquendum facultatem obtineant, ſub excommunicationis ſupra poſita pœna cum aliqua Moniali minimè colloqui valeant.

Nemo cuiuſcunque generis, conditionis, & ſexus fuerit abſque noſtra, vel Vicarij noſtri generalis licentia in ſcriptis ſepta Monaſterij ingredi audeat, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ à Sac. Conc. Trident. impoſita; qui verò licentijs noſtris, (quæ pro caſibus tantùm neceſſarijs cõcedentur) abutendo pro libito, & abſque vrgenti neceſſitate ingredi præſument, nec non Moniales, quæ illos admittent, excommunicationis latæ ſententiæ, & quidem Summo Pontifici reſeruatæ pœnam incurrent. *ſeſſ. 25. cap. 5.*

Abbatiſſa, ſeu Præfecta Monaſterij penès ſe retineat indicem, ſeu catalogum eorum, quibus ad tempus concedentur licentię ingrediendi clauſuram ad proprium munus obeundum pro vtilitate, & neceſſitate Monaſterij.

Confeſſarij ſepta Monaſterij non ingrediantur ad aſ-

Digitized by Google

pergendas cellas Sabbatho Sancto, aut alijs diebus, neque vt audiant confeſſionem alicuius infirmæ, quæ poſſit ad ſedem confeſſionalem accedere, neque cauſa Proceſſionis, ſed tantũmodò ingrediantur in caſibus neceſſarijs pro excipiendis confeſſionibus infirmarum, & pro deferenda eiſdem Sanctiſſima Euchariſtia, aut ad miniſtrandam extremam Vnctionem, & commendandam animam, & nullatenùs quacunq; ex cauſa intra ſepta Monaſterij pernoctabunt, niſi in commendatione animæ; nec alia quacunque de cauſa ingredientur ſepta, ſub pænis contemptis in Bulla S. M. Alexandri VII. dat. Romæ 1668.

Operarijs verò omnibus, ac olitoribus ipſis prohibemus, ne poſt Solis occaſum intra ſepta Monaſterij cõmorentur, aut ante Solis ortum ingrediantur, ſub pæna excommunicationis, & perpetuæ excluſionis à quocunque Monaſterio.

Pueri ſiuè mares, ſiuè fæminæ cuiuſcunq; ætatis, etiam primæ infantiæ intra Monaſteria ne recipiantur, quod ſi Oſtiaria, vel Monaſterij Præfecta id fieri permiſerit ab Officio ſuſpendetur, & pænis grauioribus etiam punietur.

Si alicui Matronæ Pontificia facultas ingrediendi Monaſteria Monialium concedatur, eadem vti nequit, niſi ſeruatis ad vnguem conditionibus in ea expreſſis, ac habito ad hoc expreſſo, & per vota ſecreta, ac capitularitèr Monialium illius Monaſterij conſenſu, alitèr nequaquam abſque excommunicationis incurſu aditus patere poteſt.

Ex præſcripto Conſtitutionis Alexandri VII., quæ incipit: *Felici Sacrarum Virginum ſtatui:* Superiores regulares Monialium admonemus, nulli eorum ingredi intra ſepta Monaſteriorum Monialium eorum regimini ſubiectarum licere, niſi ex cauſa viſitationis localis, idque ſemèl tantùm

Digitized by Google

tùm in anno, quod ſi ob clauſuram, vel aliam vrgentem, & neceſſariam cauſam opportuerit pluriès eodem anno ingredi ſepta Monaſterij, tunc non alitèr ingredi licebit, quàm cum præſentia noſtra, vel alterius perſonæ eccleſiaſticæ boni exempli, & maturæ ætatis ad hoc ſpecialitèr à Nobis deputatæ.

Quodlibet Monaſterium Monialium duas tantùm portas habeat, per quas ad Monaſterium ingrediatur; Vna iumentis, & vehiculis, ſeu curribus, altera reliquis caſibus ſeruiat. Vtriuſque ianuæ valuæ duplici, & firmiſſimo aſſere conſtent ſine vlla rimula, limenque è ſolido marmore ſtrictìm portæ cohæreat, vt ea clauſa nihil omninò intromitti poſſit.

Domus Monaſterijs proximæ famoſis mulieribus ne locentur, ac propè illas ſpectacula quæcunque, cantus, ſaltus, ludos cuiuſuis generis, etiam pilæ, aliaſuè actiones profanas rumores excitantes, fieri omninò prohibemus, vt in quocunque euentu contrario, ſtatìm Parochi, & Monialium Confeſſarij Nos admonere teneantur, vt opportunis remedijs prædicta arcere, periculaque omnia à ſacris Deo dicatis Virginibus pro viribus amouere valeamus; Quod ſi Parochos, & Confeſſarios in hoc negligentes inuenerimus, in eos prout magis expedierit animaduertemus.

Præfecta diligentiam adhibeat, vt Moniales omnes die, nocteque præſcriptis horis chorum frequentent, ſacriſque Officijs diſtinctè, pieque celebrandis, quibuſcunque ſublatis colloquijs, interſint, ijs tantùm exceptis, quas eadem Prefecta legitimo impedimento excuſandas duxerit.

Ex Sacræ Congreg. præſcripto præcedentiam Monialium à die profeſſionis, non autem à die receptionis habi- Cõg. Epiſ. 26. Iunij 1615.

tus

tus attendendam eſſe declaramus.

Vt autem Monaſteriorum ſuſtentationi neceſſariæ conſultiùs prouideatur, nec opus ſit quæſtuandi gratia Moniales extrà Monaſteria emittere de conſilio, & aſſenſu Multum RR. PP. earundem Monialium Superiorum, iuxtà Conſtitutionem Gregorij XIII., & Sacræ Congregationis Decretum, attenta temporum iniuria, monetarumque tenui valore, ſequentem numerum ſingulis Monaſterijs præſcribere, atque aſſignare iudicauimus.

MONASTERIO

S. Ioannis.	Chorales 100.	Conuerſæ 30.
S. Vincentij.	Chor. 100.	Conu. 24.
Carmenini.	Chor. 55.	Conu. 18.
S. Mariæ Cant.	Chor. 50.	Conu. 15.
SS. Annunt. S. Georgij.	Chor. 46.	Con. 12.
S. Claræ.	Chor. 60.	Con. prout in indult. Pontif.
S. Paulæ.	Chor. 50.	Con. in clauſ. 10.
S. Luciæ.	Chor. 40.	Con. in clauſ. 10.
S. Eliſabeth.	Chor. 50.	Conu. 10.
S. Auguſtini.	Chor. 35.	Conu. 10.
S. Barnabæ.	Chor. 56.	Conu. 14.
S. Catharinæ.	Chor. 35.	Conu. 10.
S. Vrſulæ.	Chor. 50.	cum Conuerſis.
S. Mariæ Magdalenæ ad beneplacitum.		
S. Thereſiæ.	Chor. 16.	Conu. 4.
S. Mariæ de Conc. Ch.	26.	Conu. 7.

Quem numerum inpoſterum excedere nullatenùs licebit, ſed ſi aliqua ſupra ipſum acceptanda veniet, ſupra-numerarium locum tenere, duplicatamque dotem Monaſterio præbere debebit,

Cõg. Epiſ. 14. Aug. 1613.

Nul-

Nulla puella, ſi fuerit intra numerum præſcriptum, ad habitum monacalem ſuſcipiendum acceptetur, niſi eius parentes, vel illius curam gerentes antequam habitum ſuſcipiat, pro dote ſpirituali ſexcenta ſaltèm ſcuta Mātuanæ monetæ Monaſterio ſoluenda, iuxtà ſolitum depoſuerint; *Cōg. Ep. 6. Sept. 1604.* ſi verò ſupra eundem numerum fuerit, iuxtà Sac. Congr. Decretum, prædictam dotem ad mille ducenta ſcuta augere tenebuntur.

Quam ſummam mille ducentorum ſcutorum, etiam pro tertia ſorore, quamuis ſit intra numerum præfixum, & mille quingenta pro quarta ſorore præſtanda, ſtatuitur; *Cōg. Ep. 26. Aug. 1636.* quæ tamen tertia, & quarta ſorores, abſque eiuſdem Sac. Congregationis licentia acceptari minimè poterunt.

Si autem puellæ acceptandæ, vt ſupra aduenæ fuerint, *Cōg. Ep. 25. Maij 1595.* vltrà ſupradictam dotem reſpectiuè, ducenta ſcuta præfatæ monetæ, eiſdem Monaſterijs ſoluenda eſſe ordinamus; Quæ puellæ nullo modo in Monaſterio acceptentur, niſi cum noſtra licentia, vel Vicarij noſtri generalis à Cancellaria noſtra relaxanda, quæ non concedetur, niſi prius fides de vita, & moribus à ſuo Ordinario confecta Nobis, vel dicto Vicario noſtro generali exhibeatur, ac propterea pręſtita à parentibus fideiuſſione à Nobis approbanda de ſoluendo ſuis temporibus, quod Monaſterio debetur.

Dotes ſupradictæ pro Moniali Religionis habitū ſumptura, deponendæ erunt in capſam penès perſonam fide, & facultatibus idoneam, de noſtro conſenſu deputandam per Inſtrumentū rogan. in Cancellaria noſtra, & non alibi.

Huiuſmodi autem dotes, ſi numerariæ fuerint in communes neceſſarios Monaſterij vſus expendi poſſe, ſi verò ſupranumerariæ in emptionem bonorum ſtabilium, ſiuè *Cōg. Ep. 6. Iunij 1615.* Cenſuum conuertenda eſſe, ab eadem Sac. Cong. decerni-

nitur; quod quidem, & Nos obſeruari mandamus.

A die verò, quo puellæ Monaſterium habitu religioſo induendæ ingrediuntur, vſquequo profeſſionem emittere valeant, alimenti cauſa quotannis ad minus, prçter frumenti, vini, lignorumque ſummam à Nobis præſcriptam, quadraginta ſcuta huius Mantuanæ monetæ in pecunia numerata, & non alitèr, Monaſterio anticipatè ſoluenda fore decernimus.

Si quæ puella ſumptura eſt habitum regularem, eius voluntas Nobis priùs ſignificetur, antequã Capitulo Monialium proponatur, vt poſſimus eius voluntatem explorare, & inquirere, an conditiones requiſitas, iuxtà Monaſterij, & Ordinis regulas habeat, notificantes Superioribus quibuſcunque Regularibus, quibus Monialium cura incumbit, quod ſi in poſterum puellis prædictis coronam impoſuerint antequam Nobis, vel Vicario noſtro generali non in proprijs domibus, ſed in Eccleſijs præſententur ad examen noſtrum, non admittentur, nec eis ad ingreſſum licentiam impertiri permittemus.

Monaſteria quæcunque puellas educare prætendentia earum habitationem a Monialibus omninò ſeparatam, & iuxtà Sacr. Cong. Decretum confectam ſub trium menſium ſpatio parare procurent, eiſdemque Monialem magiſtram aſſignando; alitèr Nos, nullis puellis Monaſteriorũ præſcriptis conditionibus carentium, ingreſſum permiſſuros fore proteſtamur, & nequaquam huiuſmodi puellas ad habitum, & ingreſſum Monaſterij ſine noſtra licentia, vel Vicarij noſtri generalis, in ſcriptis concedenda, admitti poſſe declaramus.

In quocunq; Monaſterio nulla puella educanda recipiatur abſque licentia Sac. Cong. Nobis, vel Vicario noſtro ge-

Digitized by Google

generali conſignata, & in actis noſtræ Cancellariæ regiſtrata, & niſi conditiones in licentia præſcriptæ concurrant; præſeitìm verò, quòd puella ſeptennium excedat, & minor ſit viginti quinque annis, & acceptata fuerit capitularitèr à MM., & per ſecreta ſuffragia, nec ſit vltra numerum præfixum; Extet in Monaſterio locus particularis ſeparatus à Monialibus, & Nouitijs, & præſtetur idonea cautio in Cancellaria noſtra de ſoluendis de ſemeſtre in ſemeſtre alimentis in quantitate, vt ſupra taxata pro dictis Nouitijs, & tunc adimpletis prædictis omnibus, cum licentia noſtra, vel Vicarij noſtri generalis, admittatur intra clauſuram; Admiſſis verò vanitates in Monaſterijs nequaqùam permittantur, legibuſque Monaſterio communibus penitùs ſubijciantur.

Vt autem Monialium quieti, & religioſæ diſciplinæ pleniùs conſulatur, ſponſalia inire omninò prohibemus, quādiù in Monaſterio puella exiſtit, nec Sponſo ad eius Monaſterium accedendi facultatem concedi volumus, ſed à parentibus infra dies octo poſtquam eam deſponderint, & de matrimonio conuenerint; è Monaſterio extrahatur, ſub pæna excommunicationis, cui etiam pænæ ſubijciantur Abbatiſſæ, cętterçque Moniales quomodolibet in prædicta ſponſalia conſentientes.

Earundem puellarum numerum, (qui eſt, vt infra) à Nobis paritèr præſcriptum de conſenſu Superiorum regularium curam Monialium habentium nullum excedere poſſe ordinamus.

Puellæ educandæ in Monaſterijs.

S. Ioannis.	18.
S. Vincentij.	20.

O Car-

Carmenini.	25.
S. Mariæ Cantelmæ.	24.
SS. Annuc. S. Georgij.	15.
S. Claræ, vel S. Ioſeph.	10.
S. Paulæ.	
S. Luciæ.	10.
S. Eliſabeth.	20.
S. Auguſtini.	10.
S. Barnabæ.	12.
S. Catharinæ.	12.
S. Vrſulæ.	12.
S. Thereſiæ.	8.
S. Mariæ de Concept.	10.

De Iudæis.
CAP. XXV.

AD reprimendam perfidam Hæbreorum audaciam, atque nimìs notam temeritatem, Chriſtianamque Religionem pro muneris noſtri debito tuendam, Conſtitutionibus Summorum Pontificum innixi, diſtrictè præcipiendo, mandamus, quatenùs nullus Chriſtianorum in hac noſtra Diæceſi, ſub pœna carceris, ac viginti quinque librarum, pauperum Congregationi applicandarum pro qualibet vice, tàm Dominicis, quàm alijs de Eccleſiæ præcepto diebus Feſtis, nec ignem Iudęis parare, nec aliquo modo inſeruire audeat.

Iudęis quoque, ſub pœna carceris, & quinquaginta librarum pro qualibet vice, vt ſupra applicandarum, ſtrictiſſimè prohibemus, nè in præfatis diebus, alijſq; à Chriſtianis obſeruatis, officinas aperire, publicèque laborare,

re, aut laborari facere audeant, nec Chriſtianos quoquomodo vllo vnquã tempore grauare, aut contractus fictos, vel ſimulatos celebrare, nec cum ipſis Chriſtianis ludere, comedere, vel familiaritatem, ſeu conuerſationem in eorum domibus, vel cum chriſtianis mulieribus habere, nec ad Chriſtianorum curam, ſi Medici fuerint, etiam rogati accedere præſumant.

Ancillas quoque, ſeu nutrices pro lactandis eorum infantibus, ſeu alios vtriuſque ſexus Chriſtianos ſeruientes habere omninò vetamus, ſub pæna viginti quinque ſcutorum, prefatæ pauperum Congregationi applicandorum, ac etiam carceris tàm ipſis Iudęis, quàm Chriſtianis ſimilia ſeruitia eis præſtantibus.

Chriſtianis quibuſcunque in Iudęorum officinis laborare, ſeu cum eis quodlibet exercitium habere, ſub eadem carceris, & viginti quinque librarum pæna, abſque noſtra in ſcriptis licentia, quam in vnoquoque ſeruitio Iudæis per Chriſtianos præſtando obtineri volumus, penitùs interdicimus.

Nullus Iudęus vir, aut fæmina, aut puer ad Monaſteria Monialium, vel earundem collocutoria, ſub pæna quinquaginta ſcutorum pro qualibet vice pijs Locis applicandorum, ſine præfata noſtra licentia in ſcriptis, quouis prętextu accedere audeat.

Triduo Maioris Hebdomadæ, dum campanæ ſilent, in publicum Iudæi ne prodeant, nec diebus Feſtis, quæ Chriſti fidelibus ſunt de præcepto, merces aliquas per Ciuitatẽ deferant, ſub pæna carceris, & viginti quinque librarum, applicandarum, vt ſupra.

Omnes Chriſti fideles Sinagogas Hæbreorum ad ſpectandas eorum celebritates, & ritus, ſub eiſdem pænis

Digitized by Google

carceris, & librarum viginti quinque pro ſingula vice intrare non audeant, neque vllibi eorum concionibus, aut officijs interſint, qua pæna teneri volumus etiam Iudæos, qui Chriſtianos in eorum Sinagogas ad prædicta introducere præſumpſerint.

Prædia Eccleſiaſtica nec Iudęis locari per Chriſtianos, nec per illos conduci omninò præcipimus, ſub pæna quinquaginta ſcutorum, in pios vſus erogandorum pro qualibet contrauentione.

Vaſa quoque, & paramenta ſacra, Sanctorumq; Imagines, aliaque ſimilia ad vſum Eccleſiæ deſtinata, à Chriſtianis vendi, vel pignorari Iudęis, & per eoſdem emi, & ſub pignore acceptari, certiſſimè prohibemus, ſub pænis arbitrarijs, tùm Chriſti fidelibus contrafacientibus, tùm Iudæis ipſis recipientibus.

Omnes tandèm, & ſingulos cuiuſcunque ſint conditionis, in hac noſtra Diæceſi commorantes, rogamus, ac per viſcera Miſericordiæ Ieſu Chriſti toto cordis affectu obſecramus, vt Iudęorum conuerſationem, & familiaritatem, tanquam Religioni Chriſtianæ, & pietati, ac virtutibus omninò pernicioſam euitare; nec non præſentes noſtras Conſtitutiones pro viribus obſeruare ſtudeant.

Ioannes Lucidus Epiſcopus Mantuæ.

Lectæ, & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ Conſtitutiones de mandato Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. D. Io: Lucidi Cattanei Epiſcopi noſtri Mantuani in Cathedrali Eccleſia Mantuana S. Petri Principis Apoſtolorum in eius prima publica Synodo, ſub die 25. & 27. Septem. 1679.

Ità eſt S. baſtianus Siſſa Cancellarius.

Accla-

Acclamationes factæ in fine Diæceſanæ Synodi die 27. Septembris 1679.

Primum verſum cantat D. Archidiaconus.
Secundum verſum totus Clerus.
Deſinentia eſt per fa, re.

℣. Deo Patri omnipotenti, qui prędeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum omnis honor, virtus, & gratiarum actio.

℟. Secundum nomen tuum Deus, sìc & laus tua in fines terræ, quoniam magnus es, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis.

℣. Sacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ exaltatio, & de Cælo protectio.

℟. Reſpice Domine de Cælo ſancto tuo, vide, & viſita vineam iſtam, quam plantauit dextera tua, quam ſingularis ferus exterminare conatur; Ne fortè dicant in gentibus. Vbi eſt Deus eorum?

℣. Beatiſſimo vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici Summo, & Domno Apoſtolico, INNOCENTIO Papæ Vndecimo pax, proſperitas, & auxilium de Sancto.

℟. Conſtitue eum Domine in caput omnium gentium: adorent eum cuncti Reges Terræ; Coràm illo procidant Æthiopes, & inimici eius terram lingant.

℣. Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo DD. IOANNI LVCIDO Antiſtiti zelantiſſimo, & vigilantiſſimo huius Synodi Præſuli in Paſtoralibus curis, & laboribus vigilantia, & fortitudo.

℟. Da ei Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam: procedat de virtute in virtutem, & ſuſcipiat eum dextera tua.

℣. Se-

℣. Sereniſſimo Duci noſtro FERDINANDO CAROLO multa ſalus, & vera de Cælo tranquillitas.

℟. Omnipotens Rex Regum, per quem Reges regnant, indue ei pro thorace iuſtitiam, pro galea iudicium certũ, ſcutum inexpugnabile æquitatem; da ei quæſumus armaturam zelus tui, & brachio ſancto tuo defende illum.

℣. Reuerendo Clero Mantuano in Chriſtiana diſciplina profectus, & fructus Eccleſiaſticæ obſeruantiæ.

℟. Reſpice in ſeruos tuos Domine tibi deuoto pectore famulantes, & nitore vultus tui dirige filios tuos in viam ſalutis æternæ.

℣. Ciuitati huic noſtræ, & cuncto Populo Mantuano pax, & ab omni malo præſeruatio.

℟. Emitte Domine Angelum tuum bonum in circuitu timentium te, per quem liberi ab omni malorum incurſu toto tibi pectore famulentur.

℣. Synodalium decretorum obſeruantiam, intercedente Beata Virgine Deipara Maria, Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, & Sanctis Præſulibus Patronis noſtris Cæleſtino, & Anſelmo, nec non Beatis Compatronis Ioanne Bono, Aloyſio, & Oſanna: concedat nobis omnipotens, & miſericors Dominus.

℟. Largire nobis Domine ſpiritum agendi, quæ recta ſunt, vt quæ tibi ſunt placita exequentes promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur.

Pro

Pro bono regimine huius Mantuanæ Eccleſiæ, Illuſtriſſimus, & Reuerendiſs. D. Epiſcopus elegit, ac deputauit.

Perilluſtres, & MM. RR. DD.

Pro Ceremonijs, Præfectos, & Magiſtros.

Andream Caſellam. }
Franciſcum Oſanam. } Canonicos Cathed.
Ioannem Mariam Turrinum. }
Ioannem Mariam Gilium. } Cap. Cathed.

Pro diſciplina Eccleſiaſtica.

Io: Baptiſtam Gallutium Præpoſitum Cath. I.V.D., & Prouic. gen.
Antonium Mantuanum I. V. D. Canon. Pænitent. Cath.

Pro Cauſis Pijs, & Legatis.

Reuerendiſs. D. Franciſcum Bertazzolum Vic. gener. I. V. D., & Senat. Ducal.
Sebaſtianum Facipecoram Paueſium I. V. D. Archipresb. Cath.
Iulium Cæſarem Siſſam I. V. D. Collegiatum Can. Cath.
Camillum Montoncellum I. V. D. Arch. S. Mariæ de Populo.

Pro Monialibus.

Franciſcum Bertazzolum V. G.
Ioannem Baptiſtam Gallutium.

Iudices Synodales.

Franciſcum Bertazzolum V. G.
Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Ioannem Baptiſtam Mercorum I. V. D. Can. Cathed.
Ioannem Bernardum Bonanomum I. V. D. Can. Theol. Cath.
Antonium Mantuanum.
Ioannem Baptiſtam Baſſum I. V. D. Can. Cathed.
Iulium Cæſarem Siſſam.
Ioannem Octauium Zucchium I. V. D. Proton. Apoſt., & Archip. Eccleſ. Colleg. SS. Iacobi, & Philippi.

Examinatores Synodales.

Franciſcum Bertazzolum V. G.
Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Ioannem Baptiſtam Mercorum.
Ioannem Bernardum Bonanomum.

Anto-

Digitized by Google

Antonium Mantuanum.
Ioannem Octauium Zucchium.
Matthæum Prædellam I. V. D. Can. Cath.
Franciſcum Cocaſtellum Archip. Eccl. Par. S. Georgij in ſuburbio.
Io: Baptiſtam Bazanum Sac. Theol. Doct. olim Archip. Podij.
Sebaſtianum Facipecoram Paueſium.
Ioannem Baptiſtam Baſſum.
Iulium Cæſarem Siſſam.
Vincentium Bonum Sac. Theol. Doct. Can. Cath.
Franciſcum Simbenum I. V. D. Priorem S. Martini Mantuæ.
Camillum Montoncellum.
Chriſtophorum Zaualeum I. V. D. Prior Quiſtelli.

Reuiſores Tribunalis.

Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Ioannem Bernardum Bonanomum.

Executores Synodi.

Sebaſtianum Facipecoram Paueſium.
Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Ioannem Baptiſtam Mercorum.
Antonium Mantuanum.

Aduocatos Pauperum.

Ioannem Bernardum Bonanomum.
Camillum Montoncellum.

Pro Cauſis Pijs, & Legatis.

Franciſcum Bertazzolum V. G.
Sebaſtianum Facipecoram Paueſium.
Iulium Cæſarem Siſſam.
Camillum Montoncellum.

Viſitatores Spirituales Carcerum.

Franciſcum Oſanam.
Ioannem Bernardum Bonanomum.

Viſitatores in Ciuitate, & Diæceſ.

Sebaſtianum Paueſium.
Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Ioannem Baptiſtam Mercorum.
Antonium Mantuanum.

Pro Seminario.

Antonium Mantuanum.

Fran-

Digitized by Google

Franciſcum Simbenum.
Andream Caſellam.
Ioannem Bernardum Bonanomum.

Pro Oratione 40. Horarum.

Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Vincentium Bonum.

Pro Indulgentijs reuidendis.

Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Ioannem Baptiſtam Mercerum.

Pro obſeruatione Feſtorum.

Franciſcum Bertazzolum V. G.
Ioannem Baptiſtam Gallutium.

Procuratores electi in Synodo à Ven: Clero Mantuano.

Ioannem Baptiſtam Gallutium.
Ioannem Octauium Zucchium.
Sebaſtianum Paueſium.
Ioannem Baptiſtam Mercorum.
Co: Sigiſmundum Magnum I. V. D. Can. Cath.
Franciſcum Simbenum.

Pro taxa Spolij.

Camillum Montoncellum.
Ioſeph Maragnanum Archip. S. Michaelis in Arce Portus.

Propoſitiones vſque adhuc damnatæ à Summis Pontificibus Alexan. VII., & Innoc. XI.

Feria 5. die 24. Septemb. 1665.

SAnctiſſimus D. N. audiuit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinę relaxatiuas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim nouitèr prodire: Et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiã pertinẽtibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euã-

Digitized by Google

gelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitę corruptela. Quare ne vllo vnquam tempore via ſalutis quā ſuprema veritas Deus, cuius verba in eternum permanent, arctam eſſe definiuit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs peruerti contingeret, idem Sanctiſs. D. N., vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam euocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1 Homo vllo vnquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Iulij in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſs. Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4 Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5 Quam-

5 Quamuis euidentèr tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.

6 Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit Pænitenti chartam, poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur, ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proindè non eſt denuntiandus.

7 Modus euadendi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante abſque onere denuntiandi.

8 Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem, etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani VIII.

9 Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.

10 Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus ſacrifitijs ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre: neq; etiã eſt contra fidelitatẽ, etiamſi promittam promiſſione, etiam iuramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12 Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.

14 Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15 Pænitentes propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pænitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18 Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehenſam.

20 Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eo quod ſit pœna.

21 Habens Cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatiſfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

22 Non eſt contra iuſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica nõ conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione Beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubijcere præcepto.

24 Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem

dem ſpeciei infimę, ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum ſoluta ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

27 Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica, tanquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit, prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, nimirùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifici, abſolui.

Inſupèr diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne predictas opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant.

Fer.

Digitized by Google

Fer. 5. die 18. Martij 1666.

SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proxime elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt; examinatis ſedulò, & accuratè vſque ad hanc diem infraſcriptis alijs, quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Thelogia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reuerendiſſimos DD. Cardinales aduerſus hereticam prauitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit.

Propoſitio 29. In die Ieiunij, qui ſæpiùs modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Ieiunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporalitèr laborant, ſunt excuſati ab obligatione Ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Ieiunio.

31 Excuſantur abſolutè à præcepto Ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant.

32 Non eſt euidens, quod conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33 Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficij fecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatiſfacit præcepto.

35 Vnico Officio poteſt quis ſatisfacere præcepto pro die præſenti, & craſtino.

36 Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Trident.

37 Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Pau-

Digitized by Google

Paulò Quinto, hodie ſunt reualidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum; eſt conſilium, non præceptum.

39 Illa particula *quam primum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40 Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitu ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur; ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.

41 Non eſt obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgo, *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinariũ afficerent, & alia famula nimis difficile inueniretur.

42 Licitum eſt mutuanti aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendã ſortem vſq; ad certum tẽpus.

42 Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus, quam per decem annos.

44 Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45 Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri vſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decreuit, prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vt minimum, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excõmunicationem, à qua non poſſit (præterquam

quam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui.

Inſupèr diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij, prohibet omnibus Chriſti fidelibus cuiuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Feria 5. die 2. Martij 1679.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ouium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbẽs, & ſalubre opus in ſegregandis noxijs doctrinam paſcuis ab innoxijs à felic. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones partìm ex diuerſis, vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partìm nouitèr adinuentas Theologorum plurium examini, & deindè Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſępiùs diſcuſſis eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis. Idem Sanctiſſimus D. N. re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit pro nunc ſequentes propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimùm tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumq; parte exhibitas, vel exhibendas vllatenùs approbare.

1 Non

1 Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm vtẽdum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2 Probabilitèr exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem, etiam minùs probabilem.

3 Generatìm dum probabilitate, ſiuè intrinſeca, ſiuè extrinſeca, quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5 An peccet mortalitèr, qui actum dilectionis Dei ſemèl tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquẽnijs per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.

8 Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9 Opus Coniugij ob ſolam voluptatẽ exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11 Pręcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12 Vix in Sæcularibus inuenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ità vix aliquis tenetur ad eleemoſinam

Q quan-

quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes abſq; peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

15 Licitum eſt filio gaudere de patricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias, indè ex hæreditate conſecutas.

16 Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17 Satis eſt; actum fidei ſemèl in vita elicere.

18 Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno.

19 Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20 Hinc poteſt quis prudentèr repudiare aſſenſum, quē habebat ſupernaturalem.

21 Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis; immò cùm formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22 Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimiliuè motiuo ad iuſtificationem ſufficit.

24 Vocare Deum in Teſtem mendacij leuis non eſt tan-

ta irreuerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25 Cùm cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiuè res ſit leuis, ſiuè grauis.

26 Si quis, vel ſolus, vel coràm alijs, ſiuè interrogatus, ſiuè propria ſpontè, ſiuè recreationis cauſa, ſiuè quocumq; alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliã viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.

27 Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quotiès id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30 Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi alitèr hæc ignominia vitari nequit; idem quoq; dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31 Regularitèr occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei.

32 Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum

cum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33 Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe talitèr defendere, ſicut, & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac conſequentèr dicendũ erit in nullo abortu homicidium committi.

36 Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.

37 Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè hæris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis ſub pæna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39 Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertiò, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40 Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem Perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

41 Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid vltra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.

42 Vſura non eſt dum vltra ſortem aliquid exigitur, tã-

quam

quam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum.

43 Quid ni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44 Probabile eſt non peccare mortalitèr, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Darę temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretiùm, ſed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46 Et id quoq; locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, sìc, vt illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

47 Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortalitèr peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles, ipſi iudicauerint ad Eccleſias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparatiuo pro poſitiuo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando fit concurſus.

48 Tàm clarum videtur, fornicationem ſecũdum ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49 Mollities iure naturę prohibita non eſt. Vndè ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. Co-

Digitized by Google

50 Copula cum Coniugata, conſentiente Marito non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51 Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſciẽtèr adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multotiès eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortalitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur; ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum ſeruandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immò quatuor ſimùl à diuerſis Celebrantibus audit.

54 Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens Confeſſio, aut Communio, etiam in his, qui gentilitèr viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

57 Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, mòdò honeſtam.

58 Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

59 Licet ſacramentalitèr abſoluere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus Pænitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicuius Feſtiuitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pænitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem

legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

61 Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinnimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62 Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63 Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64 Abſolutionis capax eſt homo, quantumuis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiã, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. I. C.

65 Sufficit illa Myſteria ſemèl credidiſſe.

Quicumque autem cuiuſuis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctìm, vel diuisìm defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputatiuè, publicè, aut priuatìm tractauerit, vel prædicauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſupèr diſtrictè in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandèm, vt ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu Sho-

tentia ità cenſuit: Et ſi frequens, quotidianuſue Sacroſanctæ Euchariſtiæ vſus à SS. Patribus, fuerit ſemper in Eccleſia probatus; nunquam tamen,aut ſæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum prǽſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicauit, cùm inquit: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent; Idque non immeritò, multiplices enim ſunt, conſcientiarum receſſus, variæ ob negocia ſpiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona paruulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari nō poſſimus, nihil certè de cuiuſque dignitate, atque integritate, & conſequentèr de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea, quod ad negociatores ipſos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium iudicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negociatoribus, & Coniugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In Coniugatis autem hoc ampliùs animaduertent, cùm B. Apoſtolus nolit eos inuicem fraudari, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacent orationi, eos ſeriò admoneant, tantò magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam continentiæ vacādum, puriorique mente ad Cæleſtium Epularum Communionem eſſe conueniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana Sacrǽ Cōmunionis ſumptione vnica præcepti formula aliqui de-

R ter-

terreantur, aut ſumendi dies generalitèr conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet; illudque omninò prouideat, vt nemo à Sacro Conuiuio, ſeu frequentèr, ſeu quotidiè acceſſerit, repellatur, & nihilominùs det operam, vt vnuſquiſque dignè pro deuotionis, & præparationis modò rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis ſuauitatem deguſtet. Itidem Moniales quotidiè Sacram Cõmunionem petentes admonendæ erunt, vt in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent. Si quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore ſpiritus ità incaluerint, vt dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum vti, & cum eis conſtitutum haberi, vt cum fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debẽt) accenderint, ſtatìm de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem deuoto ſtudio excitantur, debere, ſiuè Laici negociatores ſint, ſiuè Coniugati, ſiuè quicumque alij, ſuã agnoſcere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti, ac Diuini iudicij formidine diſcant cęleſtem Menſam, in qua Chriſtus eſt, reuereri. Et ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad maiorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diæceſibus viget huiuſmodi deuotio ergà Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maxima perſuadebunt, nulli labori, aut dili-

gen-

gentiæ parcendum, vt omnis irreuerentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur: Quod abundè continget, ſi ij, qui deuoto huiuſmodi ſtudio; diuina præſtante gratia tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentiùs refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueuerint: Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Cæleſti Regno ſe pręmiũ eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, vt ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarij redarguant, aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de iure Diuino, doceant in Eccleſijs, ſeu Oratorijs priuatis, ex diſpenſatione, ſeu priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam vllo modo deferendam in Crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prędicta accedere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publicè, & cum pompa, iuxtà formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, vt circa Communionem in feria ſexta Paraſceue, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ vſus ſeruentur; inſupèr admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neq; grandiores, ſed conſuetas; Non permittant, vt venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti, non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarij, etiam Regulares, aut quicumque alij Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum inſtam, ac

Digitized by Google

rigoroſam animaduerſionem in contrafacientes, etiã Regulares, etiam Societatis Ieſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialitèr attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbauit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

Datum Romæ 12. Februarij 1679.

F. Card. Columm. Præf.

S. Archiepiſc. Brancaccius Epiſc. Viterbienſ. Secret.

Sequuntur aliæ duæ Propoſitiones recentèr damnatæ.

Feria 5. die 23. Nouembris 1679.

CVm ſupradictis Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. delatæ fuerint hæ duæ Propoſitiones.

1 Deus donat nobis Omnipotentiam ſuam, vt ea vtamur, ſicut aliquis donat alteri Villam, vel librum;

2 Et, Deus ſubijcit nobis ſuam Omnipotentiam.

Eorumdem iuſſu per Theologos ad id ſpecialitèr deputatos diligentèr examinatæ fuerunt, quorum votis auditis, & re Sanctiſſimo Domino Noſtro relata, & coràm Sua Sanctitate propoſita, vna cum votis ipſorum Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Sanctitas Sua decreuit, & mandauit, vt ambæ Propoſitiones omninò prohiberentur, ſicut eas preſenti Decreto damnat, & prohibet, vti temerarias ad minimum, & nouas; mandatque, ne quiſquam deinceps cuiuſcumque ſit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel

illa-

illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſiuè ſcriptis, aut etiam oretenùs docere, vel aſſerere, ſub pænis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, alijſque Sanctitati Suæ benè viſis.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Sequuntur aliæ 5. Propoſitiones damnatæ à bon. mem. Alexan. VII. Pont. Max. die 7. Nouembris 1656.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

2. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

3. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

4. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Præter has damnatas propoſitiones, extant ſequentes Conſtitutiones, per quas iuxta mentem Tridentini reproban-

bantur quorundam Sententiæ de ingreſſu in Monaſteria Monialium, & cuſtodia Clauſuræ, nec non pænis inflictis delinquentibus circa Clauſuram, vel Perſonas in Monaſterijs degentes.

Conſtit. Gregorij XV. incipit *Inſcrutabili Dei prouidentia* publicata die 8. Februarij 1623., & declarationes ſuper 14. dubijs à Sacra Congregatione Concilij emanatæ.

Conſtit. Alexandri VII. incipit *Felici Sacrarum Virginum* publicata die 9. Decembris 1664.

ET HIC ESTO FINIS.

Digitized by Google

Decretum de Aeſtimatoribus Synodalibus.

AD maiorem commoditatem, & facilitatem, & minus diſpendium Partium, eligimus, & deputauimus infraſcriptos omnes Æſtimatores Synodales, animaduertendo tamen, duos tantùm coniunctim in quolibet bonorum æſtimatione ſufficere, eligendos ad arbitrium Partium, pro vt ità declaramus, & confirmantes Decretum in præcedenti Synodo anni 1668. factum, mandamus, quod dicti Æſtimatores electi accedere non debeant ad viſitandum, & æſtimandum Proprietates aſſignandas, & liberandas reſpectiuè ad ſolam requiſitionem Partium, aſſignare, ſeu liberare volentium, ſed præmonere debeant Rectores, Superiores, & legitimos Adminiſtratores Eccleſiarum, ſeu piorum Locorum, quorum intereſt, quatenùs cum ipſis dictis Æſtimatoribus per ſe, vel alios intereſſe debeant huiuſmodi viſitationibus, & æſtimationibus, & proponere eiſdem, pro vt tenentur, vtilitatem, & damnum, quam, & quod recipere, & reſpectiuè pati poſſent ex eiſdem æſtimationibus, ne Eccleſiæ lædantur; Mandantes etiam Proprietates aſſignandas in actu huiuſmodi æſtimationum menſurari debere per Peritos, & per præciſam quantitatem confinari, & vt in huiuſmodi æſtimationum relationibus ſpecifica mentio fiat de interuentu perſonali dicti Rectoris, vel Superioris, ſeu Adminiſtratoris intereſſe habentis, ac relationes factæ ſemper fiant, & iurentur per dictos Æſtimatores in Cancellaria noſtra Epiſcopali, quod ſi ſecus factum fuerit, id totum irritum, & nullum decernimus; onerantes omninò conſcientiam dictorum Æſtimatorum, vt vtilitati, & dam-

no

Digitized by Google

no Eccleſiæ omninò proſpiciant, & quoad mercedem ipſorum, ſe contineant cum taxa, per Nos eiſdem limitanda, de qua in Cancellaria noſtra Epiſcopali.

Aeſtimatores confirmati.

D. Modeſtus de Zoppis Rector S. Catharinæ Mantuæ.
D. Natalis Ferrus Cappellanus Cathedralis Mantuæ.
D. Benedictus Ottoboſius Rector Eccleſ. Paroch. S. Leonardi Mantuæ.
D. Antonius Pitotius Rector Eccleſiæ Putheoli.

Aeſtimatores electi de nouo.

D. Antonius Ottoboſius Cappellanus Cathedralis.
D. Melchior de Michaelibus Cappellanus Eccleſ. Colleg. S. Andreæ.
D. Alexander de Angelis Sacerdos Mantuanus.
D. Ioannes Baptiſta Cauatius Archip. Eccleſiæ Podij.
D. Ludouicus Thomirottus Rector Eccleſiæ Schiuenoleæ.
D. Franciſcus Peccinus Archipræsbiter Sauiolæ.
D. Ioannes Cerutus Archipræsbiter Ripaltæ.
D. Antonius Folchinus Archipræsbiter S. Mariæ de Guſnago.
D. Michael de Mantellis Sacerdos de Capriana, reſpectu Locorum poſitorum in Territorijs Caprianæ, Volta, & Godij.

Ioannes Lucidus Epiſcopus Mantuæ.

Æ Dicta, quæ Feſtis legenda ſunt, vt dicitur in cap. 17. deſumantur ex Conſtitutionibus Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Maſſæi bo: mem: Epiſcopi Mantuani.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

Cap.	1. *De Fidei profeſſione*	pag. 1.
Cap.	2. *De vita, & honeſt. Cleric.*	5.
Cap.	3. *De modo recit. diuin. Offic., & Miſſam*	11.
Cap.	4. *De Sacramento Ordinis*	15.
Cap.	5. *De Sacram. Baptiſmi*	19.
Cap.	6. *De Sacram. Confirmationis*	25.
Cap.	7. *De Euchariſtiæ adminiſtratione*	26.
Cap.	8. *De Pœnitentiæ Sacramento*	32.
Cap.	9. *De Extrema Vnctione*	42.
Cap.	10. *De Matrimonio*	44.
Cap.	11. *De Veneratione Eccleſijs exhibenda*	48.
Cap.	12. *De Indulgentijs*	57.
Cap.	13. *De Bonis Eccleſiaſticis*	59.
Cap.	14. *De Hoſpitalibus, & Locis pijs*	63.
Cap.	15. *De Confraternitatibus Laicorum*	65.
Cap.	16. *De Beneficijs Eccleſiaſticis*	69.
Cap.	17. *De Parochis*	70.
Cap.	18. *De Diebus Feſtis obſeruandis*	75.
Cap.	19. *De Proceſſionibus*	78.
Cap.	20. *De Vicarijs Foraneis*	80.
Cap.	21. *De Prædicatione*	84.
Cap.	22. *De Legatis pijs*	86.
Cap.	23. *De Exequijs, & Funeribus*	88.
Cap.	24. *De Monialibus*	97.
Cap.	25. *De Iudæis*	106.
	Sequuntur Acclamationes huius noſtræ Eccleſiæ	109.
	Sequuntur nomina Officialium electorum pro bono regimine Eccleſiæ	111.
	Propoſitiones damnatæ	113.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

BIBLIOTECA